

9842.

DISSERTATIO JURIDICA

34

De

SPOLIO.

Quam,

DEO TER OPT. MAX. AUTHORE,

*DECRETO & JUSSU NOBILISSIMI
& Amplissimi Jureconsultorum Ordinis
in antiquâ Rauracorum
Academia,*

Pro consequendis in UTROQUE JURE
DOCTORIS Honoribus ac
Privilegiis,

Publicè proponit

PAULUS BRUNNEN.

Ad diem Julii.



AUGUSTÆ RAURACORUM

Tynis Georgii Deckeri Academiae Typographi

An. MDCC LII.

Diss. jur. civ.

485,16

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO




DOCTOR OTTOMAR LUTHER

Handwritten text, likely a title or author information, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or author information, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or author information, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten text at the bottom of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

S P O L I O.

T H E S I S L



Principium, quod Theologus sequitur, & ex quo suam haurit divinarum rerum cognitionem, est certum quid; Verbum nempe revelatum: quod per homines JEHOVÆ Spiritu Sancto actos literis consignatum vocatur Sacra Scriptura. Similiter etiam certum quoddam J. Ctus suæ cognitionis habet & agnoscit principium, ex quo ceu fonte irriguo in suas ipsumq; consulentium actiones derivat justitiam. Fons hic pro diversitate Rerumpublicarum Potestatumque Legislatricum solet esse varius. Nos S P O L I I aliquam comparaturi cognitionem, ejusdemque jura nonnulla hinc inde collecturi illis potissimum fontibus in præsens utemur, quibus nomina Justinianei & Canonici Juris sunt indita.

II.

Cùm verò omne confusum sit ingrati, Ordo autem res reddere soleat gratiores & faciliores, docenti, discenti, audienti, legenti, pernoscenti; unde Xenophon in œcon. Οὐδ' ἐν ἔτῳ ἔτε ἄλλῃσιν, ἔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις: add. Philoso-

A 2

phus 8. *Physic. cont.* 15. *Cicero de Oratore L. 2. pag.* (*edit. Lugdun. de Anno MDI DC XXCVIII.*) 251. *inf.* hanc ob causam & nos quoque ordinis aliquam habere rationem proposuimus, qui esto, ille. Spolii tractabimus I. NOMEN, II. Rei per nomen significatae CAUSAM EFFICIENTEM, III. SUBJECTUM RECIPIENS, IV. OBJECTUM, V. TERMINUM. Possemus quidē hīc longiūs progredi, & de Remediis etiam, quæ Spoliato competunt, & horum Tempore Fatali, item de Spolii Judicio & quæ in eo singulares sint partes Judicis, quæ Actoris, quidque in eodem possit Reus, nonnulla afferre: sed temporis angustia aliæve nobis jam obsistentes circumstantiæ plura, quàm prædicta quinque, capita nostræ dissertationis nunc constituere, prohibent.

III.

A' NOMINIS tractatione ordientes hāc aliqua complectemur, quæ concernunt [1] Etymologiam, [2] Homonymiam, [3] Paronymiam, [4] Synonymiam, [5] Descriptionem. Quoad Etymologiam vocis Spolii id saltem jam notamus, quòd sit Speciei, ut vocant Grammatici, Derivativæ, suamque proximam originem debeat verbo *Spolio*, perinde ut *Regnum*, τῶ *Regno*, *Velum* τῶ *Velo*, *Vadum* τῶ *Vado*. Est verò *Spolio* à Græco *Σπυλάω*, usurpato pro *Σκυλάω*. hoc autem est à *Συλάω*, quod est à *Σύλη*. quæ voces natae sunt ex Hebraico *שָׁלַל* *schalál*, quod Latinis significat *Spoliavit*, *Prædatus est*. *Vid. Becmann. in Origin. Lat. Ling. verbo Asylum.*

IV.

De Homonymiâ vocis Spolii notandum est, quòd ea aliquando significet Abstractivè, aliquando Concretivè. Ut Concretum usurpatum Spolium denotat [1.] quicquid hosti detractum. Inde Justus Lipsius *in militiâ Rom. sive comment. ad Polyb. L. 5. dialog. 17. pag.* (*edit. Lugdun. in fol. ex anno 1613. tom. 2.*) 449. *col. 2. in m. ad verba: In ædibus verò conspectissimâ.* Appellant, inquit, Spolia arma & exuvias detractas cæso hosti. *add. Menoch. de recuper. poss. in prælud. num. 3. Petr. Gregor. in Syntagm. jur. univ. P. 3. L. 20. C. 4. num. 4.* [2.] Spolia Ecclesiastica, seu Prælato-

Prælatorum & aliorum Presbyterorum, dicuntur bona, quæ-
 cunque Ecclesiæ intuitu acquisita ipsi vitâ functi reliquere,
vid. Guil. Redoan. tract. de spoliis Ecclesiast. quest. 1. num. 7. Tuschus
practicar. conclus. lit. S. concl. 368. Menoch. d. pralud. n. 7. [3.] Spo-
 lia in genere dicuntur bona à defunctâ personâ Ecclesiasticâ
 post mortem relicta. *per c. sicut dignum. 6. §. eos insuper. De ho-*
mucid. volant. Ubi jung. Abbat. in summiario. [4.] Spoliorum no-
 mine veniunt vestimenta aliave, quibus solemus indui & ami-
 ciri. *per l. Divus Hadrianus, 6. vers. Pannicularia. De bonis damna-*
tor. Guido Pappæ. decis. Gratianopol. quest. 110. Et hinc Spoliarium
 dici solet exterior cellula in balneis, in quâ loturi se spolia-
 bant, h. e. exuebant vestimentis, quæ Græcis dicitur *ἀποδυ-*
τήριον, Kleider-kammer. Ita Justus Lipsius in *Saturnal. L. 1.*
C. 18. Ubi in balneis, inquit, exuebantur seque veste exspo-
 liabant, spoliaria dicta. [5.] Latissimè spolia dici possunt
 solentque omnia, quæ cui rei detrahuntur, quibusque ipsa
 privatur. Hinc sunt spolia sylvarum, animalium, ararum, fa-
 norum, clasium, &c. *vid. Guil. Redoan. d. tr. quest. 1. n. 5. & seq. &*
Lexicographi, qui ex bonis Authoribus hunc vocis usum latissimum mul-
tis confirmant exemplis. [6.] Strictius Spolia vocari solent bo-
 na, quæ per injuriam alicui sunt ablata, vel extorta. quod
 confirmat illud Plinii: in *Panegy. ad Trajan. Videor jam cerne-*
re non spoliis provinciarum & extorto sociis auro, sed hosti-
bus armis captorumque Regum catenis triumphum gravem.
 Et hoc in sensu videtur usurpata vox spoliorum in l. defensori-
 bus. 4. C. de defensor. civit. [7.] Strictissimè per Spolium in-
 telligitur res, quâ possessor omninò invitâ injuriâ ab altero est
 privatus. *add. Menoch. d. pralud. n. 3.*

V.

Abstractum cum est Spolium, exprimit actum transeuntem,
 motum scilicet, quò alter spoliatur. Quo in sensu passim ad-
 hibetur à Dd., ut à Baptistâ Pontano in *tr. de spolio, passim, Baldo*
(teste Andr. Gailio. 2. observat. 75. num. 1.) in l. si quis conductionis
num. 2. C. locati. aliisve interpp. pluribus, & in locutione istâ
 usitatissimâ, quâ *spolium committi vel perpetrari* dicitur. Neque
 hic vocis usus ex eâ ratione potest improbari, quòd Spolium

ap. bonæ Latinitatis Authores significet rem, quâ quis est spoliatus. quia & furtum exprimit rem furtivam §. 4. I. De oblig. que ex delict. nascunt. & actionem, quâ quis furatur. §. 1. d. r. ut ideò Spolium ~~est~~ ἀναλόγως & de re & de facto usurpetur.

VI.

Cæterùm & Spoliare multis dicitur modis. [1.] Latissimè accepta illa vox significat denudare, detrahere, exuere vel privare quid re quadam. Hinc spoliamus pannicularibus, l. D. Hadrianus. 6. vers. pannicular. De bonis damnator. bonis, §. fin. I. De actionib. cingulo, Auth. incestas. C. de incest. nupt. & Nov. 134. c. 5. inf. officio, c. si constiterit. 12. De accusationib. ordine, c. 2. De pœnis in 6. auxiliis, famâ & fortunis, vid. Calvin. & Calepin. in Lexic. h. verbo. etiam sine aliquâ injuriâ. per dd. tt. [2.] Strictiori in usu is solùm spoliat, qui re aliquâ quem per injuriam sive contra jus privat. Quò pacto spoliat judex, vel ejus assessor aut domesticus, si per concussionem aut vim quid extorserit. per l. 3. C. de assessorib. & domest. & cancell. judic. junctâ. l. 1. C. ad L. Jul. repetundar. Eodem modo etiam conjuges se spoliant donationibus inter ipsos faciendis non temperantes l. 1. De donat. inter vir. & uxor. Jungatur etiam Novell. 74. cap. 4. in pr. versic. Novimus etenim. prope f. [3.] Strictissimâ in significatione denotat Spoliare, rei cujusdam possessione quem omninò invitum injuriâ privare. arg. c. olim. 17. De rest. spol. Eteorum. que notavimus infra in th. 55.

VII.

Quot verò modis usurpari potest verbum Spolio, tot usuum etiam esse potest ab illo descendens Spolium, adeoque & in latissimâ, & in strictiori, & in strictissimâ significatione adhiberi. Nostamen Spolium in hujus dissertationis rubricâ solùm, ut actum transeuntem significat, jung. th. 5. & cum verbo Spolio in strictissimâ significatione convenit, usurpavimus. A quo nostro Spolio distinctum est factum, quod perficiens saltem *sut prado intelligitur*, ex novâ constitutione Imp. Justiniani in l. ult. C. unde vi : ex quâ quod novum competit remedium, Baptista Pontanus in d. tr. L. 1. C. 12. num. 106. vocat possessorium anomalum. Et istud quidem factum à Spolio ge-

lio ge-

lio Genere puto differre ex hac ratione, quòd utrumq̄ne habeat
 diversum subjectum seu *πρωτον δεκτικόν*: cùm hoc subjectum
 patiens sibi vendicet possidentem, istud rem possessione va-
 cuam, cujus dominus sit absens. Jam verò quæ accidentia
πρωτω δεκτικω distant, tantùm abest, ut ea generis sint ejus-
 dem, ut potius, si ad *ἀκρίβειαν* philosophicam rem velis æsti-
 mare, sint dicenda homonyma, ut ex Philosopho ad ejus-
 dem Topica alicubi docet Jacobus Schegkius. Cùm itaque
 prædictum factum tantoperè distet à nostro Spolio: Ideo sine
 vitio ejus in his nostris thesibus nullam habemus rationem.

VIII.

Post evolutam spolii homonymiam, videbimus de ejusdem
 Paronymis. Spolii, ut est res, cujus esse est *ἐν τῷ γίνεσθαι*
 seu fieri, Paronyma sunt Spoliator, Spolians, *σκυλῶν*, item
σκυλόμεν Ⓞ, id est, qui spoliatur. & voces quidem priores à
 Spolio denominantur, ut est actio; posterior verò ejusdem est
 paronymum, ut ipsum significat passionem. A Spolio, ut
 facto, etiam qui fecit quandoque Spoliator denominatur, &
 qui passus est Spolium, Spoliatus.

IX.

Pergimus ad Spolii Synonyma. Hæc ex Græco sermo-
 ne sunt *σύλη, σύλῃσις*. Latina vox, quæ cum Spolio ejus-
 dem sit significationis, alia mihi jam non occurrit præter ver-
 bum Spoliatio, quòd Cicero *in 4. in Verrem*, & Pontifex Inno-
 centius III. *in c. cum ad sedem. 15. De restit. spol.* utuntur.

X.

Descriptio Spolii potest hæc esse, Quod sit actus, quo quis
 alium rei cujusdam possessione invitum, contra jus privati.
 Cæterùm quòd spolium hîc saltem describamus, nec in
 cæteris etiam thesibus ullibi definiamus, ratio est, tùm quòd
 ad nominis tractationem, quâ saltem hîc occupamur, defi-
 nitio non pertineat; quippe quæ est Rei: tùm quòd spo-
 lii fieri nequeat definitio, quia non est res *Una per se* seu *Naturæ
 unius*. nam unius naturæ res non est, quæ componitur ex re-
 bus diversorum Prædicamentorum. *per ea quæ habet Dn. Stab-
 lius in reg. Philos. t. II. reg. 9. S. I. Philipp. Du Trieu in manu duct. ad
 Log.*

Log.

Log. tr. 1. p. 2. c. 1. art. 1. quest. 10. cùm ex rebus diversorum Prædicamentorum non fiat nisi *unum per accidens*. Jam verò Spolium; quia actum significat & motum, quò spolians agit, & simul, qui spoliatur, patitur: ut motus, seu actus, est diversorū κατηγοριῶν. nam quæ est quid activum, ad Actionis, quæ quid passivum, ad Passionis Prædicamentum pertinet.

XI.

Ab ὀνοματολογία progrediamur nunc ad tractationem Rei per nomen significatæ, & quidem I. ad CAUSAM Spolii EFFICIENTEM. In hac considerabimus duo 1. Materiale tam Quod, quàm Quo. 2. Formale. Materiali Quod hîc Subjectum, à quo actus spolii ut ab efficienti emanare debet, intelligimus. Idque censemus esse solùm Hominem. Cùm enim spolium constituamus delictum; ut intelligere est ex allatâ ejus descriptione in thes. præced., & infra suo loco amplius demonstrabitur: & verò non nisi in hominem delictum propriè cadat: *per l. ait Prætor. 3. si quadrupes pauper. fec. Add. Anton. Matth. tr. de criminib. in proleg. c. 2. num. 1. Bachov. ad Inst. L. 4. t. 9. text. 1. in pr. comment. Hug. Grot. de jure belli & pacis. L. I. C. I. S. II. & è J. Canon. c. mulier. 4. & c. seq. 15. quest. 1.* Non potest non inde patere, spolii efficiens non etiam esse posse ἄλογον.

XII.

Sed quid si e. gr. corvus, quem mansuefactum quis alit, aurum mihi furetur: [Corvum enim furax esse animal, argumento sunt 1. illud Germanicum: *Er stihlet als ein Raab.* 2. præter alias historias illa etiam, quâ memoratur, quòd Matthiæ Pannoniæ Regi digito detractum nobilem Smaragdum corvus eripuerit, quem Rex insecutus sclopeti globo interfecerit & anulum recuperârit, idque circo pro suo symbolo in moneta & alibi corvum rostro gestantem anulum pinxerit, ut ex Curei Silesiæ annalibus refert Theodorus Zuingerus in *Theatro hum. vit. vol. 3. libr. 1. pag. edit. Basileens. noviss. 605.*] an tunc, quia in bruta negavimus spolium cadere, ideò remediò, quò aliàs spoliatis possessionem recuperare licet, ero destitutus? Sanè de spolio propriè dicto conqueri hoc in casu non potero.

potero. Si tamen ablatum per corvum ad ejus venerit dominum, credo me de spolio quasi *materiali* agere ad hoc posse, ut à corvi domino res mihi restituatur. *per ea, quæ scribit Menochius in tr. de recup. poss. remedio. 9. q. 8. de casu, quo furiosus possessionem alienam in vaserit.*

XIII.

Est autem hoc Subjectum Quod aut unum, aut numero plura. ut enim præcisè unus, vel præcisè plures sint, qui Spolium efficere queant, generaliter & ἀπλῶς necessarium non est. & quandoque plures spolii causam esse efficientem, confirmat l. 1. §. quod igitur. 15. & §. seq. De vi & vi arm. Sociorum autem spolii committendi (idem est in aliis delictis) quivis Spoliator dicitur spoliique reus habetur. Etsi enim, si physicè rem consideres, causarum sociarum cuius causatio integra attribui nequeat: e. gr. si currus à duobus equis trahatur, de alterutro illorum absolutè dici nequit, quòd currum traxerit: tamen in moralibus causa delicti socia etiam totius facti rea habetur, & spoliaste quis dicitur, etsi solus spolium non perfecit, sed alius etiam operâ usus fuerit adjutrice. *arg. l. semper. 15. §. in sepulchro. 2. Quod vi aut clam. l. si quis. 7. §. ultim. De jurisdiction. l. item si. 9. §. si plures. Ad l. Aquil. Si Universitas spoliât, tunc hoc est notandum, quòd, etsi in causâ obligationis conventionali quod ab Universitate fit, intelligatur quasi ab unâ personâ factum, adeoque Universitatem saltem obligationis reddat ream, non etiam singulos ex illâ: l. sicut. 7. §. 1. Quod cujuscunque universitat. nom. idem tamen in Spolio, & communiter in delicto, non perinde obtineat. Nam delictum ab universitate perpetratum leges non pro unius habent facto, sed ad numerum personarum universitatis delinquentis etiam numerant delicta & inde resultantes obligationes. *per d. l. 15. §. 2. Quod vi aut clam.* Fitque hoc ipsum quàm rectissimè. nam si primùm naturaliter rem consideres, omnibus de universitate ad delicti causam concurrentibus non potest non dici de illorum quovis, quòd injustè egerit, adeoque meritò quivis etiam sui malefacti pœnam sentire debeat. *Confer. Gail. de pace public. l. 2. C. 9. num. 13. inf. & seq. & cum primis Menoch. de arbitr. jud. quest. casu 548. num. 10. & seqq.* Deinde nec civilis aliqua recta*

B

ratio suadet, ut, quia omnes de universitate conjunctim, & ut universitatem constituunt, considerati Juris intellectu multis in negotiis pro personâ habentur unâ, ideo pari fictione recipiendum sit, ut ab iisdem quicquid proficiscitur delicti, ratione ipsorum etiam delinquentium pro unius saltem personæ habendum sit factò: cùm in pluribus delinquentibus ficta hæc personæ unitas in manifestissimum scelera vindicantis Justitiæ detrimentum vergeret, eamque sine suo frustraret; quod, si opus foret, & nobis hæc circa rem per alia liceret esse prolixiores, ostendi posset quamplurimis. Si autem universitas aliqua spoliî causa dici posse debeat, requiritur, singulos & universos de eadem ad spoliium concurrisse, nec sufficit, quòd major universitatis pars spoliaverit. *Vid. Gail. d. cap. 9. num. 4. Menoch. dict. loc. num. 4. & seqq. cum Dd. ibi citatis & Grot. de jure b. & p. l. 2. C. 21. §. 7. & 18.* Nam quòd consociationes & universitates aliàs hoc habent commune, quòd factum à majore ipsarum parte habeatur, quasi à totâ factum fuerit universitate, adeoque, si tale sit, ex quo de Jure nascatur obligatio, etiam totam universitatem obliget: id ad eas saltem res pertinet, quæ consociationis sunt objectum. Nullius verò consociationis licitæ & honestæ Objectum & res communi nomine agenda sunt scelera & delicta.

XIV.

Transeamus ab Efficientis Materiali Quod, ad ejusdem Materiale Quo. Illo autem hîc intelligimus potentiam, quâ quis aptus est actum spoliationis sive causalitatem spoliium efficientem exercere, constituiturque quasi causa efficiens in actu primo. Et hæc sine nemo spoliium committere potest. Nam nec quodlibet agit in quodlibet, nec quodlibet patitur à quolibet, sed determinatum à determinato, ut habet axioma Philosophicum.

XV.

Hæc autem potentiâ ut quis polleat, non pauca requiruntur ex parte spoliaturi. Nam I. necesse est, ut is Juribus, secundum quæ spoliium nobis æstimatur & judicatur, sit inferior, & eadem suarum actionum regulam agnoscat.

XVI. II. Re-

XVI.

II. Requiritur, ut à spoliando sit persona distincta. Est enim de spolii formâ, ut sit injustum. injustum autem esse nequit nisi inter plures, juxta effatum illud Philosophi in 5. *Ethic. ultim.* ἀεὶ ἐν πλείωσιν ἀνάγκη εἶναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἀδίκον, i. e. semper inter plures justum & injustum esse necesse est. & συμφύες, inquit idem Philosophus *de gener. & corrupt. L. 1. t. 79.* ἕκαστον καὶ ἐν ὄν ἀπαθές, i. e. omne connatum & unū impassibile. Unde jam sequitur, quòd nec dominus servum, aut vice versâ, nec filius patrem, in cujus est potestate, nec frater fratrem sub ejusdem patris potestate cum ipso existentem, spoliare queat. Servus enim totus domini est, & ejus κτήμα, adeoque se habet ut pars ad totum: uti intelligere est ex Aristotele. in 1. *Polit. 4. Add. quoq. l. si quis. 56. De fidejussor. Donell. ad l. 38. §. 17. De V. O. num. 24.* Et filiusfam. patris, cujus subest potestati, pars censetur & quasi una cum ipso persona. *vid. l. ne cum filiof. 16. De furtis. l. ultim. circa f. C. de impuber. & aliis substit. & Philosoph. 5. Ethic. 10. ibi: Οὐ γὰρ ἐστὶν ἀδικία, &c.* Unde rectè Gajus, in *l. rem qua. 15. De acquir. vel amitt. poss.* si is, inquit, qui in potestate nostrâ est, subriperit, quamdiu apud ipsum sit res, tam diu non amittimus possessionem. Ratio est, quia, quod à parte tenetur, etiam à toto per partem tenetur, adeoque dici nequit, quòd à toto abscesserit. Fratres autem quamdiu sub ejusdem patris sunt potestate, se habent ut partes ejusdem totius, & ideò pro personis inter se distinctis non habentur. *confer. l. frater à fratre. 38. De condict. in deb.* Quatenus tamen hæc unitas, quæ est inter patrem & filium in ejus potestate existentem per leges cessat, eatenus & alter alterum, ut & frater fratrem, spoliare potest. *vid. l. 1. §. interdictum hoc. 43. De vi & vi arm.* cessat autem illa unitas quoad bona, quæ filiusfamil. habet castrensia, quasi-castrensia, peculium adventitium extraordinarium & ordinarium ratione proprietatis. *Add. Menoch. d. remedio recup. poss. 9. q. 5. & seqq.*

XVII.

Amplius & quidem III. opus est, ut doli sit capax. Cùm enim delictum perfectum non sit sine dolo; *vid. Bachov. ad Inst.*

L.4. t.5. adpr. in comm. n. 1. Ant. Matth. in d. tr. de crimin. in prolegom. c.1. n. 1. Dn. D. Struv. exerc. ad π. 39. th. 3. excepto damno dato, quod citra dolum esse potest: & verò spolium inter perfecta referendum sit delicta: inde sequitur, dolo absq; spolium non committi, nec proinde spoliare posse, qui dolum committere nequeat. Et sanè si citra dolum spolium fieri posset, solâ etiam culpâ sufficiente, commodatarii quoque depositariiive, quorum saltem culpâ rerum commodatarum depositarumve possessio commodantibus deponentibusque perierit, dicendi forent spoliatores: quod tamen inter Juris Interpretes, opinor, esse ἀδόξον.

XVIII.

Doli autem capaces non sunt [1.] Infans. quippe quem, etsi hominem occiderit, contra legis Corneliæ pœnam *Innocentia consilii*, ut ait Modestinus in *l. infans. 12. Ad l. Cornel. de sic. & venef. tuetur. Add. Clement. un. De homic. vol. & cas. & in parvulis*, inquit Marcianus, in *l. sed etsi. 55. §. 1. in f. De fideicom. libert.* nulla deprehenditur culpa. Carent namque infantes intellectu, §. *sed quod 10. Inst. De inutil. stipul.* quidque agant, nesciunt ipso etiam Philosopho suffragante, dum in *1. magnor. moral. 34.* scribit: *Τὰ παιδία ἀγνοῦν τὰ τοῦ πατρὸς τὸ πρῶτον*, i. e. nescii infantes patres cedunt. quæ ignorantia sive inscitia quia naturalis est, docente eodem Philosopho: *dict. loc.* ideo infantes injustos non efficit. Infans autem in Jure nostro habetur, qui minor est septem annis. *l. si infanti. 18. C. de jure delib. l. in sponsalib. 14. De sponsalib. Eustachius in libr. περὶ χρονικῶν ἀγασμάτων c. περὶ χρόνων ἐπιτά.* quem Græci, teste Jacob. Cujacio & Dionys. Gothofredo, vertunt ἐπιταετῆ, etiam si annum nondum compleverit.

XIX.

[2.] Infantia proxima. Cujac. in comm. ad t. π. De dolo malo, ubi ad *l. heredibus. verba, item in cause. Sutholt. dissert. ad Instit. 16. aphor. 22.* Nam & hic nullum habet intellectum. *d. §. 10. I. De inutil. stipul. l. 1. vers. impuberes C. de falsâ monetâ. Add. tamen Bachov. ad d. tit. Inst. text. 5. verba: qui habent aliquem intellectum, & ad pr. Inst. De tutelis. n. 2. pag. 155. col. 1. in m. & col. seq. Οἱ γὰρ*, ait Theophilus in *d. t. Inst.* loquens de infantibus & infantia

fantia

fantiæ proximis, πώττω ἀγοντες τὴν ἡλικίαν & δειμίαν ἔχων
 εἰδοθῆσιν νομίζοντα. *Add. Gl. ad l. si quis in tantam. 7. C. Unde*
vi. Menoch. d. remed. 9. quest. 3. num. 35. Sed infanti seu infantiæ
 proximus, (nam utramque usus tenet. *vid. Cujac. in not. ad d.*
§. Instit.) quis æstimandus? An is, qui major est VII. annis,
 minor verò annis XIII.? quia pubertati proximus quis tunc
 dicitur, ὅτε πληρώσῃ τὰ 13. ἔτη, ut ait Græcus Scholiastes, *ad*
6. 10. L. 10. Eclog. Basilic. Tit. De dolo malo. 3. id est, cùm comple-
 verit tredecim annos. cujus Glossatoris menti adstipulari vi-
 detur Galenus, quando *3. aphor. 27.* teste Cujacio pubertati
 proximum statuit eum, cui annus superest. Scribit tamen
 Viglius Zuichemus, *in loc. mox citand. in f. se in Græcorum in-*
terpretationibus observasse, proximum pubertati eum quo-
 que dici, qui duodecimum agit annum. Hermannus Vulte-
 jus *in Jurispr. Rom. L. 1. C. 4.* infantibus propiores dicit mares,
 qui XII., fœminas, quæ X. annos nondum complevere,
 utrique tamen VII. egressi sint. Petrus Gregorius Tholosan-
 us *in Syntagm. jur. univ. L. 50. C. 7. num. 4.* Schneidewinus *ad*
§. in Summa. Inst. De oblig. quæ ex del. nasc. num. 2. Rudolph. Fa-
 ber *in System. jur. P. 1. L. 4. t. 1. quest. ultim.* Donellus *ad l. 127. De*
V. O. num. 10. allegans etiam in suam sententiam Bartolum *ad*
l. 1. De novat. post Gl. in d. §. De obligat. quæ ex del. nasc. & in §.
pupillus. Inst. De inutil. stipul. item in l. 1. De novationib. terminum
ætatis, infantiæ proximæ, constituunt annum decimum & di-
midium in mare, in fœminâ verò nonum & dimidium. Ho-
 rum tamen sententiam reprobant Viglius, *loc. mox citand.*
 Gœddæus, *in tr. De contrah. & comm. stipul. C. 7. concl. 12. n. 187.*
 & Menochius. *in loc. mox citand.* Dn. Bernhardus Schotanus
in exam. jurid. P. 1. L. 1. t. 5. quest. 17. putat, quandonam quis pu-
 bertati proximus sit dicendus, ejus rei unam & certam defi-
 nitionem generalem in Jure nec esse, nec constitui posse: sed
 eam judicis æstimationi relinquendam. quæ sententia etiam
 est Viglij, *in §. testes autem. Inst. De testam. ordin. n. 11.* Menochii,
de arbitr. judic. quest. L. 2. casu. 57. num. 44. & Joh. Fabri, Butrii,
 Salyceti, Decii, Corasii & Covarruviæ, si credendum hos con-
 sentientes alleganti Menochio, *in d. n. 44.* qui etiam hanc sen-

sententiam hodie magis receptam dicit. Cæterùm qui infantem proximus, & in *l. Prator. ait. 3. §. 1. De sepulchro viol.* nomine admodum impuberis venit, idem Demostheni in *orat. contra Mid.* dicitur *μειρακύλλιον κομηδῆν*, id est, valde adolescentulus. qui Demosthenes talem ibidem se dixit, ut intellexeretur, non doli fuisse capacem, ut ibidem annotavit Ulpianus; cujus verba, referente Cujacio hæc sunt: *Τὸ κομηδῆν προσκείμενον ἔμφρασιν δίδωσιν, ὡς ἔδὲ μιᾶς ἐχθρας λαβρῶ παρέχειν ἡδύνατο, ἔδὲ ἀδικίας ὁποιούτων ἄγων τῶν ἡλικίαν.* Is autem qui pubertati proximus est, doli capax esse potest. *per §. pen. Inst. De oblig. quæ ex del. nasc. l. apud Celsum. 4. §. de dolo. 26. vers. deniq.* *De dol. mal. & met. except.*

XX.

[3.] *Furiosus. l. illud relatum. 3. §. 1. De injur. & fam. libell. c. 2. quest. 1. 15. l. 1. §. 8. hoc Edicto 6. Ne vis fiat.* Nam cum hujusdem nulla sit voluntas *l. qui servum. 47. De acquir. vel omitt. hered. l. furiosi. 40. De Reg. Jur. nullusque sensus vel intellectus: §. furiosus. 8. Instit. De inutil. stipul.* ideò is non immeritò doli, quin etiam culpæ, reus fieri posse negatur. *l. sed etsi. 5. §. & ideo querimus. 2. Ad l. Aquil. Add. c. aliquos. 5. & c. seq. d. q. 1. 15.*

XXI.

[4.] *Mente captus.* Hunc à furioso distingui, satis clarè probant *l. si furiosi. 25. C. de nuptiis, & §. furiosi. 3. juncto. §. sed & 4. Inst. De curatorib.* Quæ autem ipsius sit natura, hæc de re inter Dd. non convenit. Sunt, qui mente captum, qui & demens dicitur, describunt, quòd sit is, qui non usque quaque, sed ex parte tantùm, mentis errore ducitur. eundemque putant esse, qui alio nomine dicitur *insanus.* & amplius *insaniam* cum Cicerone in *3. Tusculan.* censent *inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen possit tueri officium & vitæ communem cultum atq; usitatum;* quæ à furore hætenus differat, quòd hic sit mentis ad omnia cœcitas. Verùm illorum sententia jam dudum displicuit J. Cto Frisio, Viglio Zuichemo, qui ab Imper. Carolo V. docti, à Bernhard. Sutholt doctissimi viri nomen reportavit. Hic enim in *comment. ad Instit. tit. Quib. non est permiff. fac. test. ad §. furiosi.* sic scribit: Ego Ciceronem non de mente capto

capto loqui puto vel fatuo, (nam ii non sunt rerum suarum domini & à curatoribus reguntur) sed malim eum intelligere de simplici, (ut vulgò dicimus) si modò id adeo juri nostro applicari lubet. fatui enim & mente capti, qui & dementes dicuntur, testamentum facere nequeunt. At ii quibus non deest omninò mens, sed qui tamen sunt substupidi, non minùs facere testamenta posse creduntur, quàm fœminæ post duodecimum annum: in quâ ætate, scimus, nondum plenum esse animi robur: cùm & ipsa mulier, (secundùm quosdam Philosophos) dimidium rationis tantùm habeat. & id hîc videntur voluisse Faber & Aretinus, & à cæteris (allegat autem ad marginem Paul. Castrensem & Decium) comprobatur. De dementibus verò expressè respondit Marcellus in l. 2. De in off. testam. Furiosi, inquit, vel dementis nullum est testamentum. Hactenus Zuichemus. Deinde ipsa etiam verborum *mente captus* proprietas hanc Doctorum quorundam sententiam repudiare videtur. Perinde enim ut oculis captus propriè non dicitur, qui non optimè sed tamen visu sic utitur, ut sine offendiculo possit ambulare, sed qui adeò nihil videt, ut oculis ductoribus uti nequeat: Ita nec is propriè mente captus erit, qui saltem acutè non intelligit, ea autem, quibus ad communem & necessarium vitæ usum opus est, mente capit. Et si mente captus tali saltem mentis laboraret defectu, quem Cicero antè citato in loco vocat insaniam, minùs commodè Theophilus in *Instit. tit. De curatorib. §. κρηταωρδοντα*, mente captos interpretatus esset voce *άνητοι*, utpote quâ talis de subiecto negatur intelligentia, quam propter hominibus suis superesse vitæque communem & usitatum cultum tueri nequeat, ut argumento sunt hæc Philosophi in *problem. sect. 30. quest. 14.* verba: *τα παιδια καὶ οἱ μεθυοντες καὶ οἱ μαινόμενοι άνητοι*, id est, pueri & ebrii & furiosi sunt dementes seu mente capti. falsum etiam foret illud Salyceti: *ad l. 25. C. de nuptiis.* Furiosus est mente captus, sed non contrà. Nos itaque in describendo mente capto eos potiùs sequamur, qui ipsum dicant hominem, cui mens seu rectus usus intellectûs deest, qui tamen sine furore sit; *Dominic. Cardin. Tuschus pract. concl. lit. F.*

concl. 539.

concl. 539. num. 2. quò affecti turbulenti sunt, fereque manus si-
ve in se, siue in alios gerunt violentas. *Conf. Bachov. & Schnei-
devv. ad S. furiosi. Instit. De curatorib. Alciat. 2. parerg. 16.* Hoc
præsupposito, dicimus, nec mente captum doli esse capacem:
cùm dolus in committente requirat intellectûs voluntatis que
integritatem.

XXII.

[5.] Dormiens. Nam dormiens non magis intelligit,
quid agat, quàm infans. *arg. l. 1. §. 3. De acquir. vel amitt. poss.
Add. c. 1. & 2. Distinct. 6. & c. si concupiscentia. 8. q. 1. 15.* Unde Phi-
losophus *1. de morib. 13. ó ἀγαθός, inquit, καὶ κακός, ἢ κίσα
Διόδηλοι καθ' ὕπνον*, i. e. bonus aut malus discerni in somno
minimè potest. & S. Bernhardus, *in libr. de arbitrio*, vefanis,
scribit, & infantibus, & dormientibus, nihil, quod agant, in-
putatur. *Add. Tiraquell. tr. de pœn. temper. aut remitt. casu 5. ubi
elegantes sapientum de somno sententias plures diligenter collegit.*

XXIII.

An verò [6.] Ebrius quoque doli statuendus erit insons?
Certè, qui per ebrietatem deliquit, impetu, qui proposito &
dolo contra distinguitur à J. Cto Marciano, *in l. perspicendum. 11.
§. delinquitur. 2. De pœnis*, ad delictum venisse censetur. & Phi-
losophus, *cujus verba supra in th. 21. retulimus*, ebrios inter
amentes refert. Sed ne, quod ebrius commisit, dolo factum
dici queat, requirimus cum Baldo *in l. 1. C. unde vi*, ut ita fuerit
inebriatus, ut ebrietas mentis quasi exilium induxerit. *Add.
c. sanè discimus. 7. 15. q. 1. c. à crapulâ. 14. De vitâ & honest. cleric.*
Ob quod requisitum dolo liberandus non erit, qui, quod so-
brius delictum proposuit, ebrius perfecit: cùm certum sit, ta-
lem ad mentis usque alienationem inebriatum non fuisse,
adeoque nec per ebrietatem peccâsse. Invenias enim pes-
simos quosdam homines, qui noxiam intentantes à Baccho
confidentiam ad opus quærant, vel ideò merò se ingurgitent,
ut crimini ex ebrietate aliquam comparent excusationem.
Notandum prætereà, quòd per ebrium, quem doli cense-
mus innoxium, intelligamus non eum, qui dici solet ebrio-
sus, sed illum, qui vino imprudens obruitur, quòd vel ipsius,
vel

vel etiam proprias nesciverit vires, aut etiam à compotatorum protervâ & intemperanti turbâ cum hisdem paria facere fuerit coactus. Nam cui volupe est, vitam vivere ebriam, cujus deliciae sunt, magnis pugnare culullis, & perpotando dies noctibus conjungere, hujus generis homines, cum primis si sciant sibi familiare esse, ut perpoti in alios sint injurii, ut & illi, qui inebriando ad facinus animum sibi quærunt, adeò doli non sunt negandi rei, ut potiùs duplici pœnæ malò omninò rectè maectentur, illic cum primis loci, ubi malum ebrietatis latè serpit. *Conf. Tiraquell. d. tr. causâ 6. n. 10.* Qui verò, ebrius quod commisit, sobrius redditus facti, quod rescivit, non dolet, sed approbat, is, quòd ratum habeat delictum, perinde æstimandus ac si dolo id fecisset. *Menoch. de arbitr. jud. quest. casu 326. num. 10.*

XXIV.

Haectenus itaque enarratae personæ, quia doli non sunt capaces, spolium formaliter committere nequeunt. Anne ergo, si qua illarum rei cujusdam possessione quem privaverit, nullum contra ipsam remedium possessorium competet? Hoc equidem non dixerim. Sanè si vera est illa Doctorum sententia, secundùm quam contra infantes, furiosos & similes, materialiter, ut ajunt, turbantes in possessione interdicto, *Uti possidetis*, agi potest, & quidem ad hoc, ut turbator à turbatione istiusmodi & molestiâ desistat, non etiam ut condemnetur pro damnis & interesse turbationis factæ: quidni etiam aliquo recuperandæ possessionis remedio, cum hâc tamen solùm intentione, ut simpliciter res, quatenus eas habeant, vel ex eâ sint locupletiores, restituant contra hosdem uti liceat? Nec sanè ejus generis hominibus ita est favendum, ut ipsis cum damno alterius etiam fieri liceat locupletiores: cum hoc summâ cum æquitate pugnaret. Sed haectenus saltem ipsi favore sunt dignandi, ut propter deficientem in iis intellectûs usum non patiamur eos facto suo damnum incurrere. *Add. Menoch. de recup. poss. remedio. 9. q. 8. n. 95. & q. 3. num. 50.*

XXV.

In spoliaturò IV. requiritur, ut intelligat, rem, circa quam spolium committendum, ratione possessionis esse alienam si-

C

ve ab alio possideri. *Add. Gl. ad l. si quis in tantam. 7. C. unde vi. ad verba: earundem rerum.* Est enim spolium delictum; quod dolum continet. dolus autem factum est, quod proficiscitur ex mente alteri nociturâ. *per l. 1. §. 2. De dolo malo.* alteri verò nocere velle is nequit, qui credit, se circa rem suam sine cuiuspiam injuriâ agere. Quin, qui ignorans agit, invitus egisse censetur: si tamen facti sui dolorem vel pœnitentiam habuerit; uti constat ex doctrinâ Philosophi. *3. de morib. 2. in pr.* quod verò ab invito est factum, doli purum est. Ex quibus jam sequitur, quòd, si quis e. gr. rem alienam, quam bon. fide suam censuit, specificatione alterius possessioni exemerit, *vid. l. qui universos. 30. §. item quod. 4. De acquir. vel amitt. poss.* is spolii conveniri nequeat. Item quòd, qui instrumenta cuiuspiam spoliaturus commodaverit, nesciens commodatarium illis eò usurum, spolii, quasi ope ejus perfecti, reus non sit: cùm ideò etiam Imper. Justinianus, *in §. interdum. II. De obligat. quæ ex del. nasc.* quando illius, qui ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponerentur, commodaverit, ope & consilio furtum, dixit, admitti, disertè addiderit hæc verba: *Sciens cuius rei gratia commodaverit.* cuiusmodi scientiam in opem ferente etiam requirit J. Etus Gajus *in l. si pignore. 54. §. qui ferramenta. 4. De furtis.* & Nemesis Carolina *in Ordin. crimin. artic. 177. Add. Salycet. ad l. unic. C. de rapt. virgin. n. 19. & ad l. quoniam. n. 9. & seq. C. ad L. Jul. de vi publ.*

XXVI.

An verò perinde etiam necessarium est, ut spoliaturus intelligat, modum, quò possessionem alterius perimit, esse injustum? Non affirmârim. Nam quæ hujus rei intellectui opponitur ignorantia, juris est ignorantia, quæ culpabilis, & excusationem regulariter non meretur. *vid. l. regula. 9. De juris & facti ignorant.* Eos, inquit Aristoteles *3. de morib. 7.* quoque puniunt, qui aliquid illorum ignorant, quæ ad leges pertinent: quæ quidem & sciri debent & difficilia non sunt. Quia *ὅταν τῆς ἀγνοίας αὐτὸς ἢ αἰτιῶν*, ut ait idem Philosophus *1. magnor. moral. 32. καὶ πρᾶττα τὶ κατὰ τὴν ἀγνοίαν, ἧς αὐτὸς αἰτιὸς ἐστίν, ἔστι ἤδη ἀδικεῖ καὶ δικαίως αἰτιῶν ὁ ποιῶν*
κληθή-

καληθήσεται. id est, cum ipse sua causa fuerit ignorantia, perpetravitque
quippiam ex ignorantia, cujus ipse extiterit causa, is planè afficit in-
juriam, ac ejusmodi jure criminis arguetur. Jam verò qui jus igno-
rat, quod scire debebat, illud cum primis, quod cognitu non
est difficile, is suâ culpâ est in ignorantia. Nam homo, ait
Gualter. Burleus, ad Aristot. Lib. 3. de moribus. 7. (aut secundum
distributionem textus Aristotelici, quam fecit Burleus, cap. 5. tract. 1.)
ad S. dicere. potest esse causa suæ ignorantia dupliciter. uno
modo directè, scilicet aliquid agendo, ad quod sequitur ignorantia,
ut patet de his, qui se voluntariè inebriant, & ex hoc reddun-
tur ignorantes. alio modo homo est causa suæ ignorantia in-
directè, scilicet per hoc, quòd non agit illud, quod tenetur age-
re, & per hoc ignorat illud, quod tenetur & potest scire. & ista
ignorantia est voluntaria, & pro eâ etiam homines puniuntur,
quia ista ignorantia est propter negligentiam. & in potestate no-
stra est, esse diligentes vel negligentes. Unde qui ignorat præ-
cepta legis, puniendus est, quia est causa suæ ignorantia. hacten-
us Burleus. Etsi autem jura à quibusdam personis, ut militi-
bus, minoribus, mulieribus, rusticis, &c. quandoque sine detri-
mento suo ignorentur, & in jure ipsis liceat errare: id tamen
solum ad casus, ubi nullum versatur delictum, restringunt. per
pr. l. regula est. 9. De jur. & fact. ignor. Add. Donell. ad l. si quis in tan-
tam. C. unde vi. n. 11. & seqq. Giphani. ad eand. l. Menoch. d. remed. 9. q. 1.
2. & 3. & Gl. ad d. l. si quis. verba: earum rerum. Vult tamen post Sa-
lycetum ad eandem l. C. unde vi. q. 4. inf. Menochius, d. q. 3. n. 44.
minorem, qui invaserit possessionem, quòd crediderit, id sibi
licere, causâ cognitâ posse restitui: per l. 1. C. si advers. delict.
quòd minor tunc saltem per culpam, & non dolo, deliquerit.
Jung. Mej. in C. I. A. L. 4. t. 4. thes. 52. Et credo, quòd etiam,
cum difficilior fuerit judicare, jurène permissum sit, tale quid
alienam circa rem facere, quòd possessori ejusdem rei possessio
pereat, tali in casu juris ignorantia à dolo & culpâ quem excu-
set. per suprâ citata ex Aristotele, Burleo, & d. l. regula est. 9. S. sed ju-
ris. 3. De jur. & fact. ignor.

XXVII.

V. Amplius necesse est, ut spoliaturus credat, aliquod ex

facto suo spolii causativo ad se redundaturum esse bonum. Nam quodvis agens ratione utens, propter finem, qui semper quid bonum est, agit. *Add. Philosoph. 1. de morib. 1.* Jam verò, ut actu aliquid finis sit, necesse est, ut idem sit cognitum. quod evincit sequens argumentum. Quicquid voluntatem movet, illud est quid cognitum. omnis autem causa finalis voluntatem movet. ergo omnis causa finalis est quid cognitum. Minoris propositionis ratio hæc est, quod motio appetitûs causæ finalis sit causalitas, uti suo loco docent probantque Philosophi. Major suo stat talo, exprimiturque illo vulgato: *Ignoti nulla cupido.* Ab ipsâ porro experienciâ quivis docetur, rem, ut apta sit, à nemine appeti, nec propter illius ut finis adeptionem à quoquam ullas impendi operas vel labores, nisi illius idem aliquam intelligat bonitatē. An verò hæc cognitio in spoliaturo veræ etiam causæ, an verò saltem causæ *sine quâ non*, officio fungatur, quæri posset? Nos cum Hurtado de Mendoza cognitioni boni in fine vim moventem tribuentes, credentesque idem Philosophum *in 3. de animâ 10.* sentire, in spoliaturo intellectum boni, è spolio consequendi, inter principia moventia censemus. idque circo multum referre opinamur, hanc cognitionem in aliquo, quo ad cætera ad spoliationem idoneo, generes, confirmes aut pervertas. exime namque spoliaturo opinionem, quâ spolium sibi bonum fore credit, & ejusdem propositum adeo everteris, ut spolium ab eodem jam non sit timendum. Intelligunt hoc Legislatores, qui idcirco delictis aliàs facile timendis & admodum noxiis graves imponunt pœnas, quòd credant, pœnarum malum in judicio, de committendo delicto consultantis, apparens delicti bonum pondere quandoque posse superare, & per hoc effici, ut delictum ob dolorem subsequenter dulcedinis saporem amittat.

XXVIII.

Quod V. I. necessariò requiritur, est hoc, ut spoliaturus superare possit spoliandum. Nam omnis actio perfecta seu completa, quæque fit cum victoriâ agentis, à superante ut fiat, necesse est, ceu tradunt Philosophi in suis regulis. Et Aristoteles *1. de animal. mot. c. 3.* αἰ -- ἴσται inquit ἀπαθείς ὡς ἀλλήλων.

*λῶν, κρητῆνται ἢ κατὰ πλὴν ὑπεροχῆν, i. e. quæcunque (scilicet
 contrariæ motiones & quietes) sunt æquales, à se invicem
 non patiuntur, per excessum autem vincuntur. Add. quo-
 que ex Evangelio S. Matth. XII, 29. & S. Luc. XI, 22. Spolium au-
 tem actum perfectum & completum exprimit: cum spoliati
 non dicamur, nisi nostræ possessioni res erepta sit. Si itaque,
 e. gr. quis, cum armatus rei suæ præsens esset, ab inermi re,
 cujus possessionem telo defendere poterat, se dicat spoliatum,
 fidem facile non merebitur; sed præsumetur falsum dicere.
 Hoc tamen nostrum requisitum non ita est explicandum, qua-
 si velit, ut spoliaturus spoliandum simpliciter & omninò vin-
 cere posse debeat: sed quoad hanc rem satis est, si secundum
 quid, puta quoad conservationem possessionis rei, per spo-
 lium alterius possessioni eripiendæ, spoliandum superare
 queat. Id amplius etiam notandum, quòd hanc affectio-
 nem sive qualitatem non in quavis partiali efficiente requira-
 mus, sed sufficere, si in toto efficienti præsens sit. Exempla
 gr. si uno plures ad ejusdem spolii causationem requirantur,
 quod forte spoliandus uni resistere queat, etsi tunc in quovis
 illorum, sive in singulis, hæc potestas non sit, est tamen in illis
 omnibus conjunctim sumtis. Hæc verò superandi potentia
 includit etiam intelligentiam modi & mediorum, quibus
 spolium est expediendum. Quandoque enim astutissimo
 ad tale scelus opus est intellectu. Ita nummos è sacculis in-
 tra caligas pendulis, ut ne advertatur, adhamare; quod est
 versutiæ illius, quam vocant *Beutel-Schneider Kunst*: credo
 id sæpius digitos requirere multum ingeniosos. Quare stu-
 pidi capitis hominem hujus, vel similis generis spolii, quod
 callidum & versutum requirat hominem, minùs verisimiliter
 insimulabis.*

XXIX.

VII. Exigitur etiam, ut spoliando ita vicinus seu pro-
 pinquus sit spoliaturus, ut loci aliqua distantia actum spolii
 impedire nequeat. *Nam conatum unum quodq; & unum impas-
 sibile est. Similiter & non tangentia neq; seipsa neq; alia, quæ facere na-
 ta sunt & pati, ut ait Philosophus. de gener. & corrupt. L. 1. t. 79.
 Add. idem Philosoph. 7. Physic. 1. t. 8. & c. 2. t. 10. ibiq; Connimbricenses.*

Est verò contactus & vicinitas, ut amplius docent Philosophi, duplex. Una quæ dicitur corporalis vel secundum suppositum, seipso & suâ realitate substantiali tangens passum seu subjectum, in quod agit conjunctum. Altera audit virtualis, vel quæ secundum virtutem suam ad subjectum, in quod agendum, pertingit. Prior, e. gr. est inter eum, qui vestibus quem exuit, iisque spoliatur, & eum, qui sic spoliatur. Posterior esse videtur inter eum, qui absens spoliatur, & eum, qui sic spoliatur. Alterutra harum, semper necesse est, ut adsit, etsi quandoque utraque in uno eodemque spoliationis actu concurrat pro diversitate scilicet agentium. Sic qui absens per ministros suos alium vestibus exuit, prope eum est, qui spoliatur, saltem virtualiter: ministri verò eidem vicini sunt corporaliter.

XXX.

VIII. Temporis quoque spatium, quod ad spoliiperactionem requiritur, spoliaturo suppetere debet. Quod requisitum se habet ut *conditio sine quâ non*. quia ipsum tempus per se spoliandi potentiæ nihil tribuit. *tempus ex suaapte naturâ vim nullam effectricem habet*, ait Grotius. *de jure b. & p. l. 2. c. 4. §. 1.* Nec tamen etiam abs illo id peragi poterit: cum omnis actio, quæ non est instantanea, aliquâ cum morâ sive cum temporis quodam tractu perficiatur, actio verò, quâ fit spolium, inter instantaneas citra dubium reponenda non sit. Et hoc requisitum si spoliatus sibi non suppetiisse judici fide dignum reddiderit, à reatu se liberaverit.

XXXI.

Est IX. opus, ut possessione alterum privaturus censeat, se invito illo, cujus in possessione est spoliiper objectum, hoc facturum. Si namque probabiliter credat, illo non repugnante id se facere posse, faciens spoliiper reus utique haud fiet. *arg. l. qui rem sibi. 76. De furtis.*

XXXII.

Hisce requisitis omnibus licet præsentibus in potentiâ tamen proximâ spoliiperandi non dum quis constitutus esse videtur, nisi etiam X. voluntate suâ in factum spoliiper actualiter inclinet

clinet & propositum id habeat. Dicat quispiam: ipsam hanc animi dispositionem in spolii reatu quem constituere videri, perinde ut à Salvatore nostro JESU CHRISTO adulterii reus pronunciatur, qui alterius conjugem saltem concupivit, & etiam secundum severiorem sanctioremque philosophiam gentilem,

———— *scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,*
Facti crimen habet, ———

ut cecinit Satyricus Juvenalis. Verùm aliter delictum æstimator in foro, quod vocant *poli*, aliter in foro, ut ajunt, *soli* & à legum civilium Latoribus. ibi mente, hîc manu & factò externo crimen metiuntur. *Add. Mej. in C. J. A. L. 48. t. I. th. 3.* Ut ideò humanas & civiles juxta leges delicti initium factum non censeatur, quousque per actum à voluntate imperatum externum nondum prodierit scelus propositum. *Add. l. I. §. I. De furtis l. cogitationis. 18. De pœnis. l. fugitivus. 225. De V. S. c. cogitationis. 14. c. si prater ea. 29. & c. seq. De pœnitent. distinct. 1. c. sicut enim. 20. 32. q. 5. Salyc. ad l. is qui cum telo. 7. C. ad l. Cornel. de sic. n. 6. Menoch. de arbitr. judic. quæst. c. 360. n. 5. Tiraquell. de pœn. temper. aut remitt. causâ. 40. n. 3. Confer quoq; Grot. de jur. b. & p. L. 2. C. 20. §. 18.*

XXXIII.

Ab Efficientis Materiali pergamus nûc ad ejusdê Formale, seu Causalitatem. Ut verò Causalitas Efficientis à Philosophis id solet dici, per quod constituitur causa efficiens formaliter in actu secundo, estque influxus, quò quid per se influit esse in aliud sine mutatione sui, ex præcisâ ratione influxûs. Ita spolium Efficientis per Causalitatê hîc intelligimus illum influxum, quò quis per se, (intelligimus autem hîc tale *per se*, quod in genere morum pro per se haberi solet. *add. Dn. Stahl. in compend. metaphys. p. comm. c. 12. pag. 155.*) influit esse in hoc, quò alius possessione rei cum injuriâ est privatus. Est autem hæc causalitas vel Actio, vel Non-actio, seu Cessatio ab actione, quæ tamen jure fieri debebat.

XXXIV.

Sed agè Causalitatem, quæ Actio est, ratione suorum requisitorum,

ditorum, paulò enucleatiùs consideremus. Quod I. in eâ requiritur, est, ut sit à voluntate imperata & externa. *Externa* ut sit ideò exigitur, quia, quamdiu nocitura voluntas intra hominis latet animum, delicti nomen pœnâ mve non meretur. *per dicta in th. 32. Add. Petr. Gregor. Tholosan. in syntagm. jur. univers. P. 3. L. 30. C. 2. n. 7.* Quod autem à voluntate imperata esse debeat, id inde est, quòd spoliū pertineat inter delicta: quæ non fiunt nisi à sciente & volente. nam injuria afficere est nocere sponte contra legem: sponte autem fiunt, quæ à scientibus & non coactis fiunt, ut docet Philosophus. 1. *Rhetor. 10.*

XXXV.

Sunt autem à voluntate imperatæ actiones aliæ puræ, aliæ mixtæ. hæ sunt, quæ fiunt vel timore majorum malorum, vel spe boni majoris honesti. mixte-spontaneæ etsi absolutè fortè invitæ, *Philosophus. 3. de morib. 1.* sint dicendæ; quippe quarum nullam per se quis eligat: tamen spontaneis magis sunt similes interque voluntarias potius referendæ. quod probare poterit sequens sorites, seu elegantiores secundum Latinos Syllogismus cocervalis. *Actiones quæ majoris mali metu fiunt, habent principium in agente: Actiones quæ principium habent in agente, in agentis sunt potestate: Actiones quæ in agentis sunt potestate, quando aguntur, aguntur à volente: Actiones, quæ à volente aguntur, sunt voluntaria: Ergo actiones, quæ majoris mali metu fiunt, sunt voluntaria.* Prima propositio probatur exemplo projicientis merces è navi in mare ob tempestatem obortam. in hoc enim est principium movendi partes sui instrumentarias, quibus jactum perficit. qui quamvis ipse, nisi insanus, mercium in mare jactum absolutè ^{non} eligeret, tamen *κατὰ καιρόν* i. e. secundum tempus seu occasionem, ob salutem suam aliorumve, jactum eligit. *Vid. Philosoph. 3. de morib. 1.* Mixtæ actiones rursus aliæ vituperium merentur, aliæ veniam, aliæ laudem. Hæ sunt, quibus quid in se non inhonestum, nobis tamen indignum, facimus aut patimur pro magnis & honestis rebus. Veniam actio meretur, *ὅταν γὰρ τὰυτὰ πράξει τις, ἀ μὴ δῆι, ἀ καὶ τῶν ἀνθρωπίνων φύσιν ὑπερτείνῃ καὶ μηδεὶς αὖν ὑπομῖναι*, ut ait Philosophus *d. c. i. i. e. cùm ea, quæ non*

non

non debet, agit quispiam ob ejusmodi, quæ & humanam naturam excedunt, & à nullo sustinerentur. Digna quæ vituperetur est actio, quâ quis quid facit vel patitur, quod in se est inhonestum & turpe: ad quale quid nos cogi ut patiamur adeo non decet, ut potius extrema quævis pati & ipsam etiam vitam deponere parati esse debeamus. cum non sit faciendum malum, ut eveniat bonum. *arg. versic. 8. C. 3. Epistol. D. Pauli ad Roman. Confer. etiam Gualt. Burleus in expos. super d. c. 1. Philosophi. §. mixta.* Hoc agnovit etiam J. Ctus Paulus, quando, viro bono stupri metum majorem quàm mortis esse debere, admodum castè sensit. *in l. isti quidem. 8. §. 2. Quod met. caus. gest. Vide quoq; ex D. Augustini libro de civit. Dei de promptum c. ita ne. 3. 32. q. 5. & c. sacris est. 5. De his quæ vi metusve causa.*

XXXVI.

Ex his ergò præsuppositis, [*Notabit enim benev. Lector, omnia, quæ ex disciplinis communioribus, ut Logicis, Ethicis, &c. in hanc nostram dissertationem assumimus, nos non ut disputanda; cum de talibus disputare non sit juridicum: sed ut præsupposita & hîc concessa proponere.*] cum pateat, mixtas actiones inter voluntarias esse numerandas, & prætereà etiam constet, spolium, quia ἀνομιον est, habendum esse pro inhonesto: ampliùs sine difficultate intelligitur, actionem, quâ quis spoliator constituatur, etiam illam esse, quæ fit metu magni cujusdam mali. Quocircà e. gr. servo domini severioris jussu spoliante criminis gratia facienda non erit. quod confirmat etiam l. 20. De O. & A. in quâ P. Alfenus Varus, Servus, inquit, non in omnibus rebus sine pœnâ domino dicto audiens esse solet. sicuti si dominus hominem occidere aut furtum alicui facere servum jusisset. quare quamvis domini jussu servus piraticam fecisset, judicium in eum post libertatem reddi oportet. hætenus Alfenus. & qui jussu alicujus dejicit, non magis est excusatus, quàm qui jussu occidit, scribit J. Ctus Ulpianus *in l. 1. §. 13. De vi & vi arm.* Neque hisdem obversantur l. non videtur. 167. §. 1. & l. is damnum dat. 169. De reg. jur. Cum loquantur de jussu, cui parere sit necesse. ast cui jussui est parendum, nisi ei, quem nescias, quid factu injustum imperare? Si sententiam judicis iniquam iniquitatis illius non intelligens apparitor

D

exsequatur, non modò *non videtur* dolo malo facere secundum
d. leg. 167. sed reipsâ etiam dolo malo haut facit. In casu au-
tem, quò dubium est, jussusné facti injustitiam intellexerit, ad
minimum præsumitur, adeoque tunc *videtur*, dolo caruisse.
Non etiam obstat l. is qui. ii. §. 7. Quod vi aut clam, & l. ad
ea. 157. De reg. jur. cùm loquantur de delictis levioribus, seu
quæ facinoris vel sceleris atrocitatem non habent: quæ de-
lictum regulariter non videtur habendum spoliolum. *arg. d. l.*
servus. 20. De O. & A. & pr. Inst. De vi honor. raptor. Si etiam le-
vior fortè fuerit injuria, quæ iniquo jussui parendo perpetre-
tur, quàm quod jussui non obtemperanti sustinendum fuisset
malum, tunc, qui vi vel metu coactus paruerit, eum credo di-
gnum esse habendum, cujus læsus commiseretur, cuique er-
rorem condonet. Cujusmodi de casu fortè explicari potest
l. imò eum. 16. §. 1. De liber. caus. Cujus in textûs facti specie
prætereà etiam decepto contra ipsum decipientem res salva
fieri potest. Cùm verò actionem Spoliatoris mixtè-sponta-
neam veniâ dignam inficias ivimus, non tamen ideo etiam,
mitiori pœnâ ne quandoque illa sit persequenda, volumus:
cùm, injurias ἀπλῶς spontaneas præ mixtè-spontaneis &
ἀπλῶς, saltem invitis mitius quandoque puniri, à Jure edo-
ceamur. l. sed si. 17. §. si jussu. 7. De injuriis. l. servos. 8. C. ad l. Jul.
de vi publ. l. si servus. 2. C. de sepulchro viol. c. si quis. 3. De furtis. Con-
fer. Menoch. de arbitr. jud. quæst. casu. 354. Lancel. in Inst. Jur. Cano.
L. 4. t. 6. §. sed hac. Tiraquell. de pœnis temper. causa 33. n. 1.

XXXVII.

Sed num etiam, qui irâ concitatus quem possessione privat,
voluntariò id facere dicendus erit? Est enim ira furor brevis,
obstatque animi judicio & rationis opera perturbat, ut ait Ar-
nold. Villanovanus. in exeg. ad c. 1. præcept. metricor. De conserv.
valetud. Johannis de Mediolano, pag. m. 5. Sanè etsi ex irâ profecta
à Philosopho negentur pertinere ad invita, quia tamen καλῶς
παρὰ τὴν θυμὸν ὅτι ἐκ προνοίας κείνεται. ἢ ἂν ἀρχὴ ὁ θυμῶ ποιῶν,
ἀλλ' ὀργίσις, ut scribit Philosophus §. de morib. 10. i. e. rectè ea,
quæ ex irâ fiunt, non esse ex providentiâ judicantur: non enim princi-
pium assert, qui iratus facit, sed qui ad iram provocavit: ideo si per-
iram

iram quid peccatum, modo tamen illa ex non levi causâ, culpa non nostrâ, sed alienâ, adeo fuerit concitata, ut mentis iudicium præverterit, facilius errato videtur ignoscendum. *Vid. l. si adulterium. 38. §. Imperator. 8. Ad L. Ful. de adult. l. Gracchus. 4. C. eod. l. si non. 4. C. de injuriis. l. si quis. 3. §. si tamen maritus. 3. De S. Cto Silan. l. 1. §. quæri potest. 5. Ad S. Ctum. Turpill. c. ira 68. II. q. 3. c. si quem. 8. versic. Notandum. 2. q. 3.* Necessè tamen est, ut eum, qui justâ commotus irâ alterius possessioni quid eripuit, aut aliàs peccavit, facti, quâ injustum est, irâ sedatâ pœniteat. *Add. Philosoph. 3. de morib. 2. in pr. abs quâ pœnitentia si fuerit, postquam ira defebuit, apparet animi ex iudicio factum descendisse, vel tamen ratum postea habitum esse, arg. l. quicquid in calore. 48. De reg. jur. quod æquè gravat, ac dolus peccato conjunctus. Si ergo justam per iram, puta quòd alius nos prius spoliaverit, iniquè ablatum mox fuerit restitutum, pœna & delictum spolii censetur deficere. quò faciunt, quæ habet Menoch. d. remed. 9. q. 16. n. 157.*

XXXVIII.

Amoris vehementiâ factum etiam ad voluntaria pertinet. *per tradita Philosophi 3. de morib. 3.* Si tamen maritus uxorem, vel sponsus arctissimè desponsatam, alterius possessioni extrahat legitimo percitus amore: his certè casibus suas sibi privatâ quamvis authoritate repetentes, si quando non omninò impunes dimittendi, sanè multâ tamen veniâ dignandi erunt. Debet enim amor conjugalis esse perfectissimus. *vid. Genes. 11, 24. Matth. XIX, 5. Epist. ad Ephes. V, 31. Ast quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet. si amor est vincit omnia, uti disserit Chrysologus serm. 40.* Quod verò è casto conjugum desiderio ardentiore profecto errori condonamus, eadem gratia non etiam faciendâ est innuptis amoribus, profligatis & multum exitiosis illis libidinibus. Qui ancillam non meretricem, ait J. Crus Paulus, *in l. fullo. 82. §. 2. De furtis.* libidinis causa subripuit, furti tenebitur, & si suppressit, pœnâ legis Faviæ coërcetur. Et in raptûs crimen severissimè animadvertendum censuit Imper. Justinianus. *vid. l. un. C. de raptu virgin.*

Debet etiam II. *jung. th. 34. in pr.* actio hæc perfecta esse. Dicitur autem perfectum *πολαχῶς*, uti cognoscimus ex iis, quæ habet Philosophus 4. *Metaphys. 10.* Ex variis autem illius vocis usurpationibus illa solùm huc pertinet, quâ perfecta dicuntur, *οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος* & *συσταῖον*, ut habent verba Philosophi *d. lo. i. e.* quibus adest finis intensus, sive quæ terminum ad quem tendebant, sunt adeptæ. nam *κατὰ τὸ ἔχειν τέλος* & *πέλεια*. Perfecta itaque erit Spolii constitutiva actio, quæ finem, qui ipsâ contra patientem illam intenditur, obtinuit. Uti enim mutilatum non est, quod nullam sui partem integrantem amisit, nec interfectum, quod vitam adhuc vivit: ita nec spoliatum rectè vocabis, qui possessionem habet immi- nutam, nec te spoliasse diceretur, à quo possessionem retinuiſti integram. Quam etiam ob causam J. C. Ulpianus *in l. si quis. 52. §. neque. 19. De furtis* opem ferre vel consilium dare, tunc, ait, nocet, cum secuta est contrectatio. & porro *in l. vul- garis. 21. §. 7. d. t.* Qui, inquit, furti faciendi causa conclave intravit; nondum fur est, quamvis furandi causa intravit. Adde quoque *l. si quis. 6. & l. impuberem. 22. §. etsi ei 4. De l. Cornel. de fals.* Est tamen specialis casus *in l. si quis. 20. C. de furtis*, in quo conatus etiam perinde habetur, ac si delictum intentatum foret perfectum. quod ibi singulariter publicæ utilitatis & exempli causâ est constitutum in sollicitatores genus hominum pessimum. *vid. Ant. Matth. d. tr. de criminib. ubi ad Dig. L. 47. t. 1. c. 1. n. 10. Add. quoque Menoch. de arbitr. jud. quest. casu 60. Tiraquell. d. tr. causa 37. & seqq. Anton. Matth. d. tr. ubi ad libr. Dig. 48. t. 18. c. 4. n. 13. Ubi in genere tractant de conatu puniendo & quandoque equiparando delicto consummato.*

XL.

Ut autem actio delictum causans finem consecuta adeoque perfecta sit, satis non est, rem illâ intentatam, ad eam fuisse secutam, sed hoc etiam requiritur, ut ex illa fuerit secuta. Citra hoc namque impossibile est, ut quis, in spolii effectum τὸ esse influxisse, dici queat. Quam nostram sententiam confir- mant verba Atilicini, *in l. non solùm. II. §. Atilicinus. 6. De in-
juris*

juris. quibus ait: si persuaserim alicui *aliàs nolenti*, ut mihi ad injuriam faciendam obediret, posse injuriarum agi. *Facit etiam l. qui servo. 36. inf. pr. De furtis.* Idemque sensit Theophilus, ut ostendunt ejus verba, quibus ipse finem paragraphi, Interdum. II. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. sic elöcutus est: *εἰ δὲ τις ἑδ'εμίαν πωδ'λω πρὸς ποιητέαν κλοπῶν ἴπιδ'είξατο, ἀλλὰ μόνον πωεβ'έλωσε καὶ τὸν θέλοντα κλέψαι πωετρέψατο, ἑ κατέχεται τῆ furti.* i. e. si quis nullam opem ad furtum faciendum exhibuit, sed solum suasit & volentem furari adhortatus est, non tenetur furti. *Consona habet Grotius in L. 2. de jure b. & p. c. 17. §. 10. quem ibi vide sis.* Nec nobis obsistit l. 1. §. 4. De servo corrupto: cum Ulpianus ibi loquatur de delicto, cuius terminus & perfectio est animi corruptio; quem vel solâ vitii laude reddi posse ac solere deteriozem, cum Ulpiano ipsi quoque lubentes largimur.

XLI.

III. Requiritur, ut eadem actio destruat alienam certæ cujusdam rei possessionem. Divisio apud Philosophos nota est, quâ actio dividitur in eam, quæ tendit *εἰς φθορὰν*, & illam, quæ vergit *εἰς τελείωσιν*. Cùm autem ad posterius actionum genus non pertineat spolium; quia subiectum patiens non perficit, vel ejus aliquod quærit commodum: sequitur, quod sit è genere illarum, quæ subiectum patiens malo aliquo manant, & conditionem ejusdem reddunt deteriozem. Nique spolio hoc fieret, spoliatus de nullâ spoliantis conqueri posset injuriâ, nullumque per hoc spolians incurreret reatum. Quòd autem spolium quid destruat, inde patet, quòd sit verbum privationem exprimens: omnis autem privatio sit destructio habentiæ, si sic loqui licet, cujusdam rei. Cæterùm rem, quam spolium destruit, esse possessionem, id intelligi poterit ex dicendis sub Objecto spoliî.

XLII.

IV. Necessè quoque est, ut ista actio Juri sit contraria; verbò, ut sit injusta. justum dicitur *πλάχως*. Nam & æquum justum est, & legitimum: cùm non quicquid æquum est, eiam legitimum sit vel contrà. Prius justum simpliciter est.

Justum: posterius est *πῶς δίκαιον*, ac justum dicitur & habetur, quia legi in Rep. sancitæ, quæ justa præsumitur, conforme est. Contingit tamen etiam hoc justum esse *ἀπλῶς δίκαιον*: putà, si Legislator in lege à rectâ viâ non aberrârit. Diximus verò, hoc *contingere*, quia necesse non est, legitimum etiam *ἀπλῶς δίκαιον* esse: cùm possibile sit, & sæpè contingat, legem aliquam esse iniquam, quòd in illâ Legislator à rectâ ratione aberrârit, sive quòd hæc ipsum clam fuerit, sive quòd studio ab illâ ob certam rationem declinârit. Justum tamen legitimum etiam semper præsumitur æquum & reverà justum, usque dum manifestissima fiat ejus à vero justo aberratio. Est justum legitimum rursus aliud, quod secundum justitiam in specie dictam justum habetur, aliud quod generatim justum est diciturque secundum justitiam universalem. Quot verò modis jam diximus justum usurpari, tam varius etiam usus est vocis *injustum*. nam maxima est in Topicis: si contrarium multis modis dicatur, profectò id etiam, quod propositum est. *Aristotel. 1. Top. 13.* Injustum ergò quoddam est, quod opponitur æquo, quoddam quod objicitur legitimo. posterius injustum dicitur etiam illegitimum: prius vocatur iniquum. istud rursus est injustum vel secundum injustitiam universalem vel secundum particularem. Nos quando in spoli actione requisivimus, ut sit injusta, injustum usurpavimus, quæ denotat injustum seu illegitimum secundum justitiam particularem. Porro quia nos jura hîc sequimur certa, Justinianéum sc. & Canonicum; prout innotescit ex dictis in thesi primâ: hinc sine difficultate intelligitur, injustam actionem hîc nos vocare, quæ prædictis juribus adversatur, & ab æquo juxta illa requisito recedit.

XLIII.

Hòc verò pactò ut Juri adversetur actio, oportet, ut ea
 [1.] vergat in damnum patientis. *quæ de re vide infra th. 59. n. 12.*
 [2.] ut fiat autoritate privatâ, vel publicâ sed illegitimè & dolò usurpatâ. Nam si Judex ritè servato judicii ordine jure officii quem possessione privet, jus non violat, adeoque non spoliat. *Donell. ad l. si quis in tantam. C. unde vi. num. 10. Menoch. recup.*

recup. poss. remed. 9. quest. 15. num. 140. Sicut nec spoliat, qui, post ritè impetratam sententiam Judicis, autoritate ab eodem sibi impertitâ in possessionem rei adjudicatæ se asserit abs publico exsecutore, reo quamvis invito: *argum. l. si servus. 4. C. de his qui ad Eccles. confug. & l. 3. C. de pignor. quod probatur etiam Baldo & hunc sequentibus, referente Baldumq̄, sequente Menochio d. tract. de recup. poss. remed. 8. quest. 1. num. 38., Felino aliisque. idemq̄ sentire videtur Donell. ad l. meminere. C. unde vi. num. 10. & Abbas Panormitan. in c. De cetero. 5. num. 11. & seq. De sent. & re judic. cum Judicis autoritate factum perinde habeatur quasi ab ipso factum esset, & exsecutio sententiæ ei etiam, qui in judicio vicit, mandari possit. *per Gloss. in l. meminere. 6. ad verba: vulgato. C. unde vi, & Speculatorem Baldum ac Francum, citante eos Pontano d. tr. de Spolio L. 1. cap. 8. num. 42.* Si autem Judex possessione quem privat vel extrajudicialiter, vel tamen sciens, se esse incompetentem, is, cum tunc, quia præter officium agit, saltem privatus habeatur, dicaturque injuriam inferre, idè verè spoliat. *Vid. c. conquerente. 7. De rest. spol. junctâ l. nec magistratibus. 32. De injur. & fam. lib. Lancelot. in Instit. jur. can. L. 3. t. 10. S. Spoliatus. Menoch. d. rem. 8. num. 8. & seqq. item num. 13. Tuschus lit. S. conclus. 386. nn. 1. 14. 19. & 27.* In casu tamen, quò, qui extrajudicialiter à Judice privatus est possessione, jus notoriè nullum habet, quò se defendere potuisset, Judicem spoliâsse negant. *Menoch. d. loc. num. 12. consentientes allegans Brunum, Sapiam, Bartolum, Decium, Gratianum.* Sed quid si Judex competens servato judicii ordine contra jus nulliter pronunciavit? Et tunc ipsum spolii reum fieri censent *Lancelottus d. loc. & citante Menochio dict. loc. num. 19. Felinus, Diaz, Anton. Matthæus & Dd. communiter, si sc. talem injustam sententiam infecuta fuerit exsecutio. quæ sententia, si judex dolò sic pronunciaverit, admittenda videtur. Add. Gail. 2. observ. 76. n. 11.* An verò etiam Princeps seu Judex summus, (in antecedentibus enim solùm de non-summo egimus) si contra jus quem possessione privat, spoliet, eam circa rem nostrum judicium tenemus suspensum. Illâ tamen de quæstione, si placet, vide sis *Menochium d. loc. quest. 2. num. 50. & seqq. Tuschum lit. S. conclus. 394. & Baptist. Pontanum, d. tr. L. 3. C. 1. num. 97. & seqq.*
Cæterum*

Cæterum quòd authoritate privatâ alienas possessiones non
 liceat invadere, præter alia jura probant etiam. l. si quis in tan-
 tam. 7. C. unde vi. l. dotis. 9. C. soluto matrimonio. Quò etiam
 faciunt l. non est singulis. 176. De reg. jur. & l. nullus. 14. C. de Juda.
 & cœlicol. In casu tamen, quò viâ judiciariâ nostrum conse-
 qui denegatur, privatâ authoritate licitum esse suum repetere
 suaque jura vindicare, quidam volunt. vid. Grot. de j. vel p. L. 1.
 C. 3. §. 2. & L. 2. C. 20. §. 8. Menoch. dict. loc. remed. 9. quest. 23.
 num. 191. quorum pro sententiâ nonnihil facere videntur l. ait Prætor.
 10. §. si debitorem. 16. l. 1. C. quando liceat unicuique sine judice &
 tit. 22. in f. F. 2. Add. Donell. ad d. l. 7. C. unde vi. num. 10. prope f.
 Verùm hîc, ne Justitia violetur multisque majoribus malis in
 Rep. occasio detur, credo multâ opus esse cautione, privatisq;
 id quam rarissimè concedendum esse. Alios casus, in quibus
 abs judicis authoritate alium re privare possumus, aliquos no-
 tamus infra in th. 59. [3.] Requiritur, ne fiat ex summâ ne-
 cessitate. Ex hâc enim ratione jus est, quò permittitur, nave
 laborante, servandorum hominum vel rerum gratiâ alieno-
 rum facere jactum, vid. tit. Digest. De lege Rhod. de jactu & vicini
 ædes, cùm oborto incendio ignis per illas in nostras metui-
 tur, dissipare per l. si quis. 49. §. 1. Ad L. Aquil. l. quod naufragium.
 3. §. Quod ait. 7. De incendio, ruin. naufrag. junctâ l. si alius. 7. §. Est
 alia. 4. Quod vi aut clam. Confer Grot. de j. b. & p. L. 2. C. 2. §. 6. &
 seqq. Hâc etiam ratione fulcra est sententia, quâ is, qui in ex-
 tremâ necessitate, quod ad vitam suam necessarium, aliunde
 sumit, quia nempe necessitatem istam alio modo evadere ne-
 quit, furtum facere negatur. Thomas de Aquino 2. 2. quest. 66. art. 7.
 Schegkius ad Ethic. Aristotel. L. 3. C. 1. verba: Dantur interdum. Mejer
 in C. J. A. L. 47. t. 2. thes. 21. num. 19. Confer Grot. dict. loc. Anton.
 Mattha. d. tr. de criminib. ubi ad tit. De furtis. cap. 1. num. 7. Tuschus
 lit. N. conclus. Necessitas non habet legem. 19. Ut adeò ex causâ pro-
 pulsandæ necessitatis, aliò modò non avertendæ, alius rei suæ
 possessione rectè per nos exui queat. Notandum autem,
 quòd per necessitatem hîc eam intelligamus, quæ est in ordine
 ad finem, (est aliàs necessitas multiplex, ut docetur in Meta-
 phisicis à Philosopho & ejus Interpretibus) nempe ad mali
 certò, sive nobis, sive alii, ipsi etiam, qui ideò re privatur, im-
 minentis

minentis

minentis propulsiōnem, & quidem non undeunde adven-
ri, sed quod causam habeat naturalem ad ipsum, ut suum effe-
ctum, non indifferenter sed secundū communem homi-
num intellectum determinatē se habentem. Si namque cau-
sa mali, quod certō instat, est illud illaturi voluntas, etsi *περὶ
καίρον* & in hoc vel illo homine illa fortē ad istud malum, in
casum omisſæ spoliationis, se determinatē habeat, idque certō
productura sit: quia tamen *ἀπλῶς* indifferens est humana
voluntas, & absolutē alium ob intermissum spolium malō ma-
ctare potest vel non maetare, multū etiam periculosum fo-
ret jus, quō ab alterius voluntate impendenti necessitati in
rebus illicitis impunē cederetur, illiusque evitandæ causa
alius læderetur: Ideo tali necessitati eadem excusandi vis
meritō denegatur, quam habet necessitas à naturali causā im-
pendens. Quamobrem etiam Innocentius III. *in c. sacris. §.*
De his quæ vi metusve caus. loquens de metu, qui ab homine in-
fertur, eundem, negavit, culpam prorsus excludere, etsi non
diffiteatur ipsam eō attenuari. *Conf. Menoch. de arbitr. judic. quæst.*
casu 354.

XLIV.

Circa spoliī causantem actionem sciendum V. quōd
quandoque ipsā unā res perficiatur, quandoque verō unā plu-
res ad spolium concurrant actiones, & vel ab uno vel à pluri-
bus suppositis seu personis. Actionis, quā plures ejusdem
spoliī causa fieri solent, species sunt I. Consilium, quod da-
tur expediendi spoliī modum ignorantī. Cæterū est vox
consilii usūs varii. Nam quandoque sola etiam suasio vel
hortatus consilium vocatur: *argum. §. tua tantum. 4. Inst. De*
mandato. Calvin. in Lexic. Jurid. hoc verbo. Quomodo etiam consi-
lium usurpatum, puto, à Justiniano in f. §. interdum. II. De oblig. quæ
ex del. nasc. nonnunquam denotat idem quod propositum:
argum. l. sæpè. §. 3. §. I. De V. S. Quod fieri credo in d. §. interdum. II.
in illis verbis: ope & consilio. aliquando agenda rei informatio-
nem seu expediendi negotii explicatam denotat rationem.
sic Ulpianus, *in l. in furti. §. 3. §. consilium. 3. De furtis. consilium,*
inquit, dare videtur, qui persuadet & impellit atque instruit.

E

& Cicero, in 1. de Invent. §. 48. prope f. consilium, ait, explicat aliquid faciendi, non faciendi, verè excogitatam rationem. Nos consilium in posteriori hoc usu in præsens adhibemus. Idque suo authòri delicti, & consequenter etiam spolii, ex eo secuti, efficientis causæ reatum induere, perindeque, ut criminis causatio proxima, reddere obnoxium, argumento sunt l. qui furti. §. 1. juncto §. 3. De furtis, l. quod est. §. hoc interdictum. 12. l. si vi me. 15. De vi & vi arm. & assensus ipsius etiam Philosophi, (qui 4. *Metaphys.* 2. & 2. *Phys.* 3. text. 31. disertè ad causam efficientem refert Consultorem) Juris Interpp. & Moralistarum plurimorum. Et sanè rapiendi, claudi, harpagandi voluntas, quousque facti expediendi modum mediave commoda nescit, actionis externæ damnosæ insons est. ast simulatque socio voluntatis & consiliario ejusdem fidissimo intellectui commodam expetitum scelus perficiendi viam ostenderis, promptè in factum externum profiliet. Non obstat pr. §. Interdum. II. De furtis & l. §. collata cum l. 8. De condict. furtiv. In quibus textibus quando, consilio vel ope furtum quem facere, negatur, intelligitur ò facere physicè & naturaliter, non etiam moraliter, consideratum. Tenetur autem talis consultor delictique perpetrati habetur causa, etsi consilium ante factum perpetratum revocârit. Tenetur consulens, ait Martinus Bonacina, in *Theolog. moral. tom. 2. ubi de restitut. disput. 1. quest. 2. punct. 7. num. 6.* ex consilio suo secuti damni facere restitutionem, etsi ante factum conatus fuerit consilium revocare. Ratio est, quia consulens censetur adhuc causa efficax damni & dicitur influxisse in damnû: quamvis ante factum conatus fuerit consilium revocare, sed reipsa non revocârit influxum. Hæc Bonacina. Cæterùm consilium, de quo agimus, semper opem latius usurpatam includere, putopatere ex ante allatâ ejus descriptione, ut ideò, quæ de illâ in legibus invenias constituta, etiam consilio applicare queas.

XLV.

II. Jussus; ejus scil. qui aliàs jubendi autoritate pollet & imperare potest: ut dominus, paterfam., magistratus, in summâ is, qui in quem habet potestatem. Parvi enim referre visum

sum

fum est, ait Ulpianus, in l. 1. §. de jecisse. 12. De vi & vi arm. suis manibus quis dejiciat, an per alium. & Alexander III. in c. mulieres. 6. De sentent. excommunication. dicit, quod is verè committat, cujus autoritate vel mandato delictum committi probatur. Sic & in Sacrà Scriptura Rex Saul Dei Sacerdotes trucidasse, I. Samuel. XXII, 18. & 22. Herodes Antipa S. Johannem decollasse, Matth. XIV, 10. & Herodes Agrippa S. Jacobum gladio peremisse, S. verò Petrum in carcerem injecisse, Actor. Apostol. XII, 2. & 4. dicuntur, quamvis illorum saltem jussu per ministros res perfecta sit. Quare jubens pœnâ ordinariâ æquè tenetur, ac si ipse immediatè scelus perpetrasset. Anton. Matthe. d. tr. de criminib. ubi ad Digest. L. 48. t. 18. c. 4. n. 14. Non tamen jubens delicti, quoad omnes qualitates ejusdem cum jussum exsequentis delicto, semper reus fit: quia jubens e. gr. furtum ejus perpetrati saltem non manifesti reus est. arg. l. si quis opem. 34. De furtis. & l. si vendidero. 80. §. is autem. 4. juncto §. præced. De furtis.

XLVI.

III. Mandatum. Nam cum procurator armatus venit, & ipse dominus armis de jecisse videtur, sive mandavit, sive ratum habuit, dicit J. Ctus Ulpianus. in l. 3. §. 10. De vi & vi arm. Idem probant §. 12. l. 1. d. t. l. non solum. II. §. si mandati. 3. De injuriis & famos. libell. l. nihil interest. 15. §. 1. Ad. L. Cornel. de sic. l. non adeo. 5. C. de accusat. d. c. mulieres. 6. De sentent. excommun. Mandamus ferè amicis: ast quæ per amicos fiunt, per nos quodammodo fiunt; quippe cum principium in nobis sit, ut scribit Philosophus, 3. de moribus. 5. cujus verba Græca sunt: Τὰ δὲ τῶν φίλων δι' ἡμῶν πῶς εἶναι. ἢ ὅδ' ἀρχὴ ἐν ἡμῖν. Ex mandato verò cujusdam spoliū aliudve delictum secutum, & ideo ejusdem quis reus factus dici nequit, si istud ante mandati maleficii perpetrationem ab ipso fuerit revocatum. Add. Salycet. ad l. non ideo minus. 5. C. de accusat. n. 13. it. n. 18. & seqq. ubi, quomodo mandans dicatur faciens, & plura alia non negligenda demandante proponit. Confer quoq; Menoch. de arbitr. jud. quæst. casu 352. n. 7.

XLVII.

IV. Conductio operæ. Si in hoc te conduxerim, ait J. Ctus Proculus, referente Ulpiano in l. II. §. 4. De injur. & fam. ut in-

juriam facias, cum utroque nostrum injuriarum agi posse, quia
meâ operâ facta sit injuria. Quæ autem ratio hoc jus induxit
in delicto injuriarum, eadem jus postulat idem in maleficiis
aliis. Et, mercede locatorem operæ ad factum induci & per-
moveri, facile quilibet intelligit. Differentiam esse inter man-
datum & operæ conductionem præter alia docet de utroque
distinctè facta tractatio in §. 3. & 4. d. l. II. & Barthol. de Saly-
ceto, *ad d. l. non ideo minus. C. de accusat. n. 4.* mandator, inquit,
propter se & in satisfactionem propriæ injuriæ vel voluntatis
mandat, nullâ datâ pecuniâ, quia tunc conductor appellatur.

XLVIII.

V. Auxiliaris opera, *per l. si pignore. § 4. 8. qui ferramenta. 4.*
De furtis. l. un. C. de crimin. pecul. l. un. §. pœnas C. de raptu virg.
Clement. 1. de pœnis. quâ nempe alterum in facto externo spo-
lium intendente juvamus. Diximus *in facto externo*, nam quo
spolii cupidum ejus expediendi saltem modum docemus, id
factum consilium est, & pertinet ad thesin. 44. Quòd verò
operam auxiliarem sive opem à consilio secrevimus, id feci-
mus facem nobis prælucente Ulpiano. *in l. in furti. § 3. consi-*
lium. 3. De furtis. Cæterùm est hæc opera auxiliaris ab actu
spolii perfectivo vel sejuncta, vel eidem conjuncta & conco-
mitans. Illa rursus est vel remotior; ut si e. gr. instrumenta
cui commodem ad effringendam arcam expilandam: vel
propior; ut si e. gr. arcam effringere juvem. Concomitans
est e. gr. si, quæ recondita sunt in arcâ effractâ juxtâ cum fure
principali ejus causâ convasem locoque moveam. Est etiam
opera alia momenti majoris, alia minoris, & proinde auxilian-
tis obligationem reddit vel ampliorem vel augustiorem. *Con-*
fer. Salyc. ad l. raptores. num. 24. & seqq. C. de rapt. virg. Id quo-
que non malè hîc quæri potest: An etiam nuncius, qui spolii
perficiendi sive jussum sive mandatum, &c. alteri exsequen-
dum nunciat, spolii sese reddat reum? Hoc sanè tum maximè
affirmandum videtur, cum non parùm ad hoc, ut spoliium fiat
vel non fiat, interest, nuncium perferri vel non perferri. Innuit
idem quoque emblemata CLXXIII. apud Andream Alcia-
tum; quod hoc est:

Praconem,

*Præconem, lituo perflantem classica, victrix
captivum in tetro carcere turba tenet.*

*Queis ille excusat, quòd nec sit strenuus armis,
ullius aut servo laferit ense latus.*

*Hic illi: Quin ipse magis timidissime peccas,
qui clangore alios aris in arma cies.*

Confer. Salyc. ad d. l. non ideo minus. C. de accusat. n. 30.

XLIX.

Quæritur, an VI. Suafus etiam actionis spoliæ causativæ habenda sit species, ideoque ejusdem criminis inducat reatum? Opinor, hîc discernendum esse, an quis persuaserit seu suadendo induxerit, vel tamen ad facinus saltem inclinantis animum reddiderit certum, an verò quis aliàs volenti simplex suafor extiterit, & in priori casu suadentem rectè statui spoliæ reum, *arg. l. 3. §. 12. De vi & vi arm. ubi Ulpianus censet, Interdictum, Unde vi, adversus eum etiam proponi, qui dolo malo fecit, quòd quis dejiceretur. Add. Gl. ad d. §. 12. verba: dolo malo. Facit etiam l. cum quis. De dolo malo, & l. qui servo. 36. in pr. versic. plus. De furtis. Salycet. ad l. raptores. n. 16. Mej. in C. A. L. 43. t. 16. th. II. n. 1. in f. cùm etiam persuadentis ad spolium concurrens causatio hîc manifesta appareat. posteriori autem in casu etsi suafor absq; crimine non sit, ideoque extra ordinem quandoque puniri queat: ipsius tamen spoliæ reus fieri non videtur ob asserta in thesi quadragesimâ. *Conf. Salyc. in d. l. raptores. n. 17.**

L.

VII. Factum, quò *ἀμέσως*, vel immediatè, alter facultate rem tenendi cum affectione sibi habendi, sive possessione, privatur. Cujus rursus genera sunt varia. nam id aliquando Furtum est, aliquando Rapina, quandoque violenta Dejectio, aliquando Damnum injuriâ datum, quandoque aliud maleficium certum & determinatum nomen non habens. [1.] Furtum id est, cùm per illud quis rei mobilis possessionem invito possessore lucrificandi gratiâ contrectaverit. *vid. l. qui servandarum. 14. §. 1. De præscr. verb. §. 1. I. De oblig. quæ ex del. nasc. l. 1. §. Scævola. 15. Si is, qui testam. lib. l. 3. §. si rem depositam. 18. De acquir. vel amitt. poss. l. rem, quæ. 15. d. t. Quod depositarius,*

(idem dicendum in commodatario similive, qui alienæ possessionis rem tenet,) non dici potest fecisse, si depositum solum inficiatus est: *l. inficiando. 67. De furtis.* sed insuper requiritur, ut rem depositam loco moverit *d. l. 3. §. si rem. 18. De acquir. vel amitt. poss. animo lucrandi. Confer Bachov. ad Instit. tit. De oblig. quæ ex del. nasc. t. 1. n. 1.* Cui sententiæ quamvis obstare videatur, *l. si rem. 47. De acquir. vel amitt. poss. putat tamen Dn. Anton. Matthæus illud ἐναντιοφάνης solvi, si d. l. 47. ex responso J. Cti Pauli in d. l. 3. §. 18. interpretemur, & dicamus, quòd quidem, cum depositarius sibi possidere constituerit, possessionem deponens confestim amittat, modò tamen depositarius rem etiam loco moverit seu contrectarit. [2.] Rapina est prædictum factum, cum per id quis rem mobilem non suam possessori vi dolove eripuerit, *vid. pr. & §. 1. Inst. De vi bonor. raptor. l. 2. §. hac actione. 18. Vi bonor. raptor* lucri faciendi *confer. Ant. Matth. d. tr. ubi ad t. Dig. De vi bon. rapt. c. 1. n. 1. & 5. possessionisve alteri auferendæ causâ. [3.] Est Dejectio, cum eò quem è rei immobilis possessione dejicimus; sive quia ipsum expellimus è re, quam naturaliter sive corpore etiam tenebat; sive quia animo possidentem & intermissâ corporali insistentiâ rursus uti volentem, ne utatur, prohibemus; *confer. Menoch. rem. 9. q. 13. n. 136. vel quia ipsum in re naturaliter quidem commo-~~rantem~~ rantem sed tamen vincitum tenemus. vid. l. 1. pr. juncto §. 2. item §. interdictum autem. 23. & §. seq. §. vi possidere. 28. & §. quid dicturi. 47. & l. colonus. 12. l. cum fundum. 18. De vi & vi arm. Expulsio, ut & solum ingrediendi Prohibitio, fit vi vel corporali, vel non-corporali, puta metu & perterritione. Metu expellimus, e. gr. cum armati imminemus possessoris dejiciendi causâ, & per hoc efficimus, ut possessor non vanè metuens, nos futuros ipso superiores, perterritus fugiat: *d. §. idem Labeo. 29. l. 1. De vi & vi arm. etsi fundum nos non ingrediamur; modò tamen alter, nos armatos venire, viderit, nec id solum audiverit. l. non solum. 33. §. si dominus. 2. De usurp. & usuc. ubi adde Cujacium, l. 3. §. proinde. 7. De vi & vi arm. si tamen fundum etiam ingrediamur, ad hoc, ut dejecisse dicamur, sufficit, si solum alter adiverit, nos venire. d. l. 3. §. 7. & l. 1. §. idem Labeo. 29. d. t. Add. Cicero in Orat. pro A. Cæcinnâ pag. (edit. Gothofr.****

thofred. Lugdun. de Anno 1588.) 322. col. 2. inf. & pag. seq. in pr.
Metu quoque expellimus, cum possessionem alterius ingres-
si sumus, metuendi, ne nobiscum in re commorans vetus
possessor vim expulsivam (nam metus vis saltem personalis
non sufficit. vid. Schneidevv. ad §. possidere. n. 175.) majorem à no-
bis fit persensurus. Prohibemus metu, cum alter, cujus absen-
tis possessionem occupavimus, quia vim majorem à nobis ha-
bet verendam, in fundum reverti nolit. arg. l. 3. §. qui armati.
vers. sufficit. d. t. De vi & vi arm. junctâ l. 7. De acquir. vel amitt. poss.
Conf. Menoch. d. rem. 9. q. 14. n. 139. Salyc. ad l. si quis intantam. 7.
C. Unde vi n. 6. q. 14. Dejectio verò non est, cum quem, posses-
sionem nobis tradere, cogimus. l. si rerum. 5. De vi & vi arm. nec
ideo spoli ex illâ causâ conveniri poterimus. adde inf. th. 62.
[4.] Damnum injuriâ datum est, cum, damni dandi causa
vel saltem sine animo lucrificandi, rem alterius ita corruppi-
mus, vel quid aliud circa eam facimus, ut per hoc possessio al-
teri pereat. E. gr. si comburimus ædes alienas; l. 2. C. De l. Aquil.
si alterius vinum effundimus, l. si servus. 27. §. cum eo. 15. Ad
l. Aquil. vel ejus poculum aut quid aliud abjicimus in profun-
dum; l. qui servandarum. 14. §. 2. De præscript. verb. l. in laqueum. 55.
inf. De acquir. rer. dom. aut si laqueo, quem alius venandi causa
posuerat, innexam feram in naturalem laxitatem dimittimus.
d. l. 55. Factum verò, quò Jurium quasi- possessione spoliatur,
certo aliquo nomine in Jure venire; non deprehendi. Docto-
res id vocant *spolium fictum*, uti intelligimus ex Menochio.
in tr. de recup. poss. remed. 1. q. 8. n. 83. Ab Usufructu tamen etiam
dejici dicimur. l. si plures. 9. §. 1. De vi & vi arm. Add. quoque l. 3.
§. uti frui. 14. d. t. quod verbum nec de Usu & Habitatione malè
usurpari credo. Facit. d. l. 3. §. 16. & l. Aquilius. 27. De donationib.
junctis d. §. 14. & d. l. 9. §. 1. De vi & vi arm. Cum autem Jurium
possessio consistat in ipsorum usu, l. ult. D. servit. eorum posses-
sione quem privabimus, si usum intervertamus. Interversio
verò usûs Jurium ob quæ serviens, sive illa qui debet, in com-
modum domini, (quò intelligimus eum, cui jura debentur) *pa-
ritur*, à serviente fit, cum pati recusat. Jurium autem præstandi
seu *faciendi* usu à serviente dominus privatur, cum iste facere
aut præstare negat. Utrobique tamen etiam requiritur, ut ipsa
jura

jura domino denegentur. *Vid. Schneidev. ad l. De Interdict. §. retinenda, sub cap. De interd. Utipossidet. num. 28. De jurisdictionis spolio vide sis Abbatem Panormitanum, ad c. olim. De rest. spol. n. 14. & 17. deque Jurium spoliatione nonnulla etiam annotavit Paulus de Eleazariis. in repet. c. literis. d. t. De rest. spol. n. 26.*

L I.

De spolii reatum inducente actione amplius agere desisteremus, nisi adhuc superesset à nobis nondum tacta *Ratihabitio*. Est verò hîc illa ejus, quod ratum habentis nomine factum est, *c. cum quis. 23. De sent. excomm. in 6. Menoch. de rec. poss. rem. 1. q. 5. n. 52. ab eo, cujus nomine factum est, c. ratum quis. 9. D. reg. jur. in 6. & Gloss. in Clement. 1. De pœnis. Tusch. lit. R. concl. 28. post factum perfectum superveniens approbatio. Add. l. si. vi me. 4. De vi & vi arm. Quæ in delictis ad tempus facti retrotrahitur, mandatoque æquiparatur. Quod, nihil obstante l. si vendidero. 80. §. si Titius. 5. De furtis. probant l. 3. §. hoc & in familiâ. 11. & §. præced. De vi & vi arm. c. cum ad sedem. 15. De rest. spol. d. c. 23. De sent. excomm. in 6. Et post Gl. Dynum & Johannem in c. Ratihabitionem. De reg. jur. in 6. Salycetus ad l. non ideo minus. C. de accusat. n. 32. restringit ad ea delicta, quæ per alium fieri possunt. Ut ergo mandans, ita & ratum habens spolii fiet obnoxius. d. l. 1. §. sed etsi quod. 14. De vi & vi arm. d. c. 15. De rest. spol. Id tamen inficias non imus, ratum habentis non eandem, quæ mandantis est, sed ferè factam saltem esse causationem: quanquam is, quòd malitiâ suâ nihil quicquam cedere videatur mandanti, & procul dubio, si res tulisset, etiam mandando maleficium operatus fuisset, spoliantiq; credita ratum habentis superventura approbatio factû suaserit, non immeritò à Legibus eâdem, quâ mandans, notetur pœnâ. Sed quid si alterius nomine quis spoliaverit, nec tamen factum ratum fuerit habitû? Sanè si, quî alterius nomine, e. gr. tutor, curator, administrator, qualis etiam in rebus Ecclesiasticis & Religiosis est Episcopus, Abbas, Prior Prælati, &c. nomine pupilli, minoris, &c. spoliavit, & ablata inter ejusdem res non contulit, aut in ejus rem vertit, nomen alienum in spolio usurpatum nihil operabitur. Sed si alter, cujus nomine usus est spoliator, ex spolio factus erit locupletior, tunc idem, quatenus ad eum pervenit, ad restitutionem tenebitur. per l. me-*

mine-

minierint. 6. §. 1. C. unde vi. & c. cum dilectus. 2. De de ord. cognit. Confer. Menoch. d. rem. 9. q. 10. num. 114. & seq. Id brevibus hinc annexum adhuc volo, quod Receptando etiam & Celando spoliatorem, spoliis reus quis fiat. arg. l. qui vas. 48. §. 1. De furtis, & l. 1. De receptator. l. 1. C. de his qui latron. vel aliis criminib. reos occult. quâ de re consule Anton. Matthæum d. tr. de criminib. ubi add. t. π. c. 1. & 2. Menochium de arbitr. jud. quest. c. 348. & Gailium de pace publ. lib. 2. c. 10.

L II.

A nonnihil explicatâ Efficientis Causâ, quæ actio est, progrediamur nunc ad istam, quæ est *Non-actio*: de quâ paucis. Non-agendo spoliis, sicut & alius maleficii, causa habemur, cum id prohibere vel impedire valentes fieri tamen permittimus. Est autem hic utendum distinctione. Si dominus servum delinquere sciens non prohibeat, ipse in solidum obligatur. *per pr. l. 2. de nox. act. l. 4. C. eod. l. 1. Si fam. furt. fec. dic.* similiter si pater filium fam., iudex ministrum, Abbas Monachum, Magistratus subditum aliûsve superior sibi subiectum intelligat crimen adornare, nec, cum possit, prohibeat: hi omnes ejusdem criminis, ac si ipsi fecissent, tenebuntur. *per c. præterea. 12. 23. quest. 8. c. error. 3. & c. consentire. 5. Distinct. 83. c. facientis. 3. Distinct. 86. c. quantæ. 47. De sentent. excomm. c. dilecto. 6. d. t. in 6. Cardin. Tusch. in lit. P. conclus. 894. cum alleg. Dd. plurib. Add. Grot. de J. bell. & pac. libr. 2. c. 21. §. 2. ubi multas sapientum sententias, hanc rem confirmantes, refert. Item si, qui ratione sive principatus & domini universalis, sive potestatis patriæ vel præposituræ maleficium patienti subfuerit, id malum ex officio pro viribus à superiori non amoliat, in pari causâ factori habetur. *per l. omne delictum. 6. §. qui præpositum. 8. De re mil. l. 1. §. juxta. 28. & seq. De S. Cto Silan. l. quis quis. C. ad L. Jul. Majest. ubi add. Salycet. num. 6.* Ex quibus omnibus concludere licet, quod is etiam, qui maleficium impedire sive prohibere ex officio vel ob certam, quam in civili societate sortitus est, conditionem debet ac potest, maleficii suâ negligentiam permisi reatum contrahat ejusdemque pro causâ efficienti in moralibus habeatur. Quod verò quivis quoque alius crimen sufflamina-re potens & fieri sinens in foro civili regulariter ejusdem fiat*

F

coll. v. i.

reus, affirmare non ausim. Etsi enim Juris Can. antè indig-
tatorum quorundam textuum generalitas id velle videatur,
jus tamen istud hætenus non videtur receptum, cùm, quos
vidi, plerique & antiquiores & recentiores Juris Interpp. non
illius, sed contrarii usurpationem affirmant. *Conf. Menoch. d. loc.
casu 355. num. 7. Tusch. d. concl. 894. num. 10. & 14. Salycet. ad d. l.
quis quis. num. 16. 17. & seq.* Et Thomas de Aquino: *in 2. 2. q. 62.
artic. 7.* Non semper, inquit, ille, qui non manifestat latro-
nem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat vel repre-
hendit: sed solum quando incumbit alicui ex officio; sicut
Principibus terræ, &c.

LIII.

Est verò delicti permissioni æquiparandum, cùm dominus
vel alius superior sciens talibus hominibus, quibus prædari
vel spoliare mos est, utitur, nec eos à scelere pro viribus reti-
net, punit, vel puniendos tradit, aut iis se abdicat. *argum. l. fin.
S. hac actione. 4. Nauta, camp. stabul. Add. Menoch. de rec. poss. rem. 1.
n. 58. Hugo Grot. d. j. b. & p. lib. 2. c. 17. num. 20. Anton. Matth. d. tr. in
prolegom. c. 1. n. 16. prope f.*

LIV.

Post absolutam qualem qualem Causæ Efficientis conside-
rationem, pergimus jam ad Spolii SUBJECTUM RECI-
PIENS. Hoc considerandum erit quoad tum Materiale,
tum Formale. Materiale est aliud Quod, aliud Quo.
Illo intelligimus Suppositum, quod passionem, quæ spoliò in-
fertur, recipit, & est Homo. Cùm enim possessio sit affectio ho-
minis propria, & verò spolii subjectum non sit nisi possidens,
uti demonstratur in thesi 56. inde necessariò fluit, solum homi-
nem spoliari posse. Possessionem autem solius hominis *non* esse,
esse, nemo non intelligit, nisi quem clam sit natura & definitio
possessionis. Possessio namque animi est, ut ex Scævola no-
tavit Ulpianus. *in l. 1. S. 15. Si quis testam. liber esse.* Sed quis ani-
mum habet præter hominem? loquor de rebus juri humano
civili suppositis. Ex hoc autem, quòd solus homo spoliari po-
test, sequitur, Hæreditatem subjectum spolii recipiens non
esse. *d. l. 1. S. Scævola. 15. Cum quò juris textu nihil pugnat l. qui à ser-
vo. 16. De O. & A.*

L V. Hoc

Hoc Subiectum, quia actiones & generationes omnes circa singulare sunt, ut docet Philosophus, 1. *Metaphys.* 1. semper est individuum seu singulare, ampliusque persona vel una, vel plures. Una persona est alia Naturâ: alia Lege; ut collegium, municipium, decuria, ecclesia, societas, &c. Unâ personâ, sive $\Phi\upsilon\sigma\iota$ sive $\nu\omicron\mu\omega$, realiqua spoliatâ unum etiam commissam erit spolium, & inde nata obligatio ratione sui subiecti activi una. Hincque, si fuerit Universitas spoliata, non ex illa singuli, sed solum ipsa dicenda est passa, & ideo non singulis sed universitati tantum acquisita obligatio & actio. *quod etiam confirmari potest per l. sicut. 7. §. 1. Quod cujuscunq; univ.* Unitate verò morali & personâ fictâ quia non continentur nisi corpora Jure confirmata, nec societas, quæ est quoad ejusdem rei possessionem, corpus per se constituit: inde sequitur, spolium, quod circa rem, à duobus socialiter possessam, commissum est, non unum & inde natam obligationem unam esse, sed ad numerum sociorum passorum etiam multiplicia esse spolia & obligationes, singulisque singulatim spolii actionem competere.

Subiecti recipientis Materiale Quo $\tau\omicron\pi\omega$ describimus aptitudinem sive potentiam, quâ sumus habiles ad patendum spolium. In quâ ut quis habendus sit constitutus, requiritur I. Ut sit persona à spoliatore distincta, II. Ut sit infirmior, quàm ut facto spoliatoris resistere queat: qualis etiam est, qui furtum facienti resistere à pudore impeditur. *l. penult. de furtis* III. Ut spoliatus sit vicinus. quorum trium requisitorum necessitas quia ex dictis in thesibus. 16. 28. 29. intelligi potest, ideo de illa nihil amplius hic dicemus. Quod IV. requiritur, est, ut spoliandus rem, cujus possessione est privandus, possideat. Cum enim Innocentius III. *in c. olim inter te. 17. De rest. spol.* Episcopum Parisiensem contra Abbatem S. Genovefæ ideò neget restituendum, quia non fuerit spoliatus, cum probare non potuerit, se juris paræcialis in paræcia de Monte possessionem habuisse: inde non obscure colligere est, spoliari neminem posse, nisi possidentem. Ex Interdicto *Unde vi* neminem restitui, nisi qui, cum

deiceretur, possederit, manifestum est ex l. i. §. quod servus. 22. De vi & vi arm. Et consentiunt etiam hanc quoad rem Dd. communiter. Menoch. d. tr. in pralud. num. 1. & 2. ubi ομοψήφως Baldum, Corneum, Ripam, Aymonem Cravettam, & alios, adducit. Gail. 2. observ. 129. n. 10. qui allegat etiam Decium, Boërium, & Curtium Juniolem. qui idcirco, ab Actore in spoliis iudicio hoc perpetuo exigi, dicunt, ut probet, se possedisse. Gl. ad d. c. olim. 17. in f. casus. Hostiens. in summa ad d. t. de rest. spol. c. 1. §. & ergo spoliatus. Panorm. ad d. c. 17. n. 3. Tusch. lit. §. concl. 371. n. 2. Est verò possessio vel naturalis, vel civilis. illa nobis hinc est, quâ quis sibi quidem possidet, sed non animo domini. hæc; quâ possidemus animo domini. Vid. Mejer. in C. J. A. lib. 41. t. 2. th. §. n. 7. Vultej. in I. R. lib. 1. c. 67. Cujac. ad l. servi. 16. De usurp. & usuc. Wesenb. in π. d. lib. 41. t. 2. n. 3. in f. Ultram habeas, ad hoc, ut spoliari possis, perinde est. per l. i. §. 9. & §. 30. De vi & vi arm. §. 6. l. de interdict. c. in literis. §. De rest. spol. ubi Panorm. n. 20. in f. & n. seq. & Paulus de Eleaz. in repet. ad id. c. n. 10. Est etiam possessio alia propriè sic dicta, alia analogica seu quasi-possessio. illa rerum est corporalium. hæc incorporalium sive jurium. l. nec ullam. 13. §. fin. l. quod si 16. §. Julianus. 4. De hered. pet. l. fin. si pars hered. pet. l. 2. in f. Comm. prad. l. fin. Uti possidetis. Petr. Frid. in tr. de materiâ possess. c. 1. n. 12. & seqq. Tam verò propriè, quàm analogicè seu quasi-possidens spoliari potest. per c. ult. De rest. spol. in 6. c. 2. 3. & alia in x. d. t. c. querela. 24. De elect. & elect. pot. l. 3. §. unde vi. 13. & §. item si 16. De vi & vi arm. l. Aquilius. 27. De donat. Menoch. d. tr. rem. 1. q. 8. num. 81. Tusch. lit. §. conclus. 375. num. 1. & in seqq. concl. passim. & Dd. alii plures. Spoliari ergo etiam possunt Vasallus, Emphyteuta, Superficiarius, Usufructuarius, Usuarius, Creditor pignus possidens, qui precario possidet, &c.

L VII.

Ob quarti hujus requisiti defectum spoliis capax subiectum non est [1.] Qui possidere planè nequit. cujusmodi sunt, 1. Qui ipsi possidentur: l. qui in servitute. 118. De reg. jur. l. cum heredes. 23. §. 1. De acquir. vel amitt. poss. ut servus, in libertate licet moretur; ab hoste captus; liber homo b. fide serviens, & si qui sunt similes, l. nunquam. 31. §. 2. De usur. & usuc. l. communis.

munis. 42. De acq. vel amitt. poss. d. l. 23. §. 1. d. t. l. homo liber. § 4.
§. quicquid. 4. De acq. rer. dom. Ab hoste tamen captus per suum
servum & filiumf. eas res, quas hi peculiariter tenent, possidet.
l. justo errore. 44. §. ultim. De usurp. & usuc. Ubi juris etiam illius
refertur ratio, 2. Qui in alienâ est potestate: l. possessio. 49. §. 1.
De ecq. vel am. poss. ut Filiusfam. Nam quod hic tenet, patri
possidet, cujus ipse pars censetur. Sunt tamen quædam, quæ
filiusf. sibi habet: add. th. 16. in f. quæ itaque etiam possidet,
& eorum respectu spoliisustinendi capax est. vid. §. 1. Inst. Per
quas person. nob. acq. l. si quis. § 2. §. an autem. 6. De furtis l. pater. 15.
§. 1. de pecul. castr. l. 2. ad S. Ctum. Maced. l. 7. C. de bon. quæ lib. Nov.
117. c. 1. N. 118. c. 2. vers. si verò. N. 139. c. 11. Et quidem possidere
nequit filiusf., etsi pater agat ap. hostes: d. l. 44. §. fin. nisi is
ibidem moriatur; cùm tunc filius, quia tempora captivitatis
ex die, quò capitur, morti junguntur, sui juris factus conse-
quenterque etiam possidendi facultatem nactus intelligatur
d. §. fin. Religiosus etiam seu Monachus, quia, ut tradit Schnei-
devvin. ad I. lib. 1. t. 12. §. filiusfam. 3. n. 7. est in potestate Abba-
tis, proprio nomine nihil possidet, ne quidem cappam, quam
gestat. potest tamen monasterii nomine possidere, & si spo-
liatur, restitutionem petere. secundum Abbatem. in c. cum venissent.
De rest. spol. n. §. 3. Sacri vel Banniti ex Imperio per. ord. Camer.
p. 2. t. 9. §. So jemand. vers. So balden der oder dieselbe. Add.
Schvvanman. observ. 48. n. 1. Gail. 2. de pac. publ. c. 1. n. 20. & seqq.
item c. 3. n. 8. 9. 16. 18. & seq. & è 1. Can. c. cum secundum. 19. De
heret. in 6. Banni autem pœna impendet Hæreticis, ex constit.
(quæ vulgo adscribitur Imp. Friderico 11.) in V. Feud. 17. §. Gazaros.
§. & c. vergentis. 10. De heretic. item solâ suspitione hære-
seos notabilibus, si ad Ecclesiæ mandatum se non purgârint,
sed tales per annum permanserint, d. §. Gazaros & pacis publi-
cæ violatoribus, d. §. So jemand. Gail. d. c. 3. ut & Rebellibus,
Gail. d. loc. num. 16. Apostatæ, arg. d. §. Gazaros, junctâ maximâ
è Topicis: si quod minùs videtur inesse, &c. improbis monetariis,
Recess. Imper. de anno 1566. §. auff den Fall. Gail. d. loc. num. 19.
& aliis. Quæ tamen sic bannitus post acquisivit, ea ab ipso
extra limites Imperii, ex quo proscripius, possideri posse, arg.
l. 17. §. 1. de pœnis. tradit Mejer in C. J. A. L. 41. t. 2. th. 8. n. 7.

[2.] Qui rem spolio auferendam possidere nequeunt, etsi aliarum rerum possessionis non sint capaces. Ita possidere nequeunt e. gr. Laicus Ecclesiam, *c. causam. 7. De prescript. Menoch. in prelud. d. tr. n. 2.* Clericus uxorem, *Pontan. d. tr. lib. 3. c. 2. n. 7.* Simoniacus beneficia Ecclesiastica, *Menoch. d. tr. remed. 1. q. 30. n. 336.* falsarius literarum Pontificis beneficia & officia Ecclesiastica *c. ad falsariorum. 7. De crim. falsi. Add. Pont. d. c. 2. n. 37.*

[3.] Qui alieno nomine rem possidet, *l. quod meo. 18. in pr. De acq. vel am. poss.* e. gr. depositarii, comodarii, *l. licet. 17. §. 1. Depositi l. rei. 8. Commodati, colonus, inquilinus, §. possidere. 5. De interdictis procurator, in f. pr. d. l. 18. tutor, curator, &c.* Beneficiati etiam bona beneficii, non verò ipsum beneficium sibi collatum, alieno nomine, scilicet Ecclesiae, possident. *secundum Panorm. ad c. cum super. 4. De caus. poss. & propr. n. 21. ubi etiam diversas hanc circa rem opiniones refert. & ad c. in literis. 5. De rest. spol.*

[4.] Qui rogavit, ut precario in fundo moretur. *l. certè. 6. §. 2. D. precario. junctà. l. 10. §. 1. De acq. vel am. poss.*

[5.] Cui sub conditione possessio tradita, antequam conditio extiterit. *l. qui absentis. 38. §. 1. d. t.*

[6.] Qui ex usufructu, vel usu, aut habitationis causa in possessione est. *d. l. 6. §. 2. De precario, l. cujuscunque. 60. §. 1. De usufr. junctà l. si quis. 10. §. 1. D. acquir. rer. dom.*

[7.] Emphyteuta: per *l. 2. vers. Eos autem possessores. C. de prescript. 30. vel 40. an. l. tutor. 16. §. fin. l. seq. De pignor. act. l. 1. Si ager vectigal. non obstante l. pen. §. 1. Qui satisdare cogantur.* Intelligimus autem hinc Emphyteutam vulgarem, non patrimoniam, qui salvo canone in patrimonium Principis inferendo fundum patrimoniam, ex quo canon praestatur, in Emphyteusin suscepit. *vid. l. 4. l. 12. C. de fundis patrimon.*

[8.] Superficiarius, *arg. l. 3. §. sed etsi. 7. vers. dominus autem. Uti possidetis l. si infinita. 15. §. 12. De damno in f. l. obligationum. 44. §. 1. in f. De O. & A. l. 1. §. 2. De superficieb. & alii plures; quos omnes hinc recensere, instituti non est.* Istud addendum est, quod, cum usufructuarium, usuarium, habitationis jure utentem, Emphyteutam & Superficiarium negamus possidere, loquamur de possessione rerum, in quibus jus habent. Quod verò ipsius juris, ut usufructus, usus, &c. possessores ipsi esse possint, non imus inficias.

[9.] Qui rem desit possidere. Sed
si quis

si quis procuratori mandavit, ut suæ possessioni renūciaret, & ante factam renunciationem alius possessionem arripiat, an mandans tunc dici poterit spoliari? Sanè, quia è tempore, quò mandavit, mandans suam possessionem, modò mandatum nō revocaverit, dereliquisse videtur & sic possidere desiisse, idè idem tali in casu non spoliabitur. *Vid. Abbas Panorm. ad c. 2. De rest. spol. num. II. Menoch. d. rem. 1. q. 23. num. 172. & seqq. Pontan. d. tr. c. 2. num. 73.*

LVIII.

Possidemus autem, vel solùm animo; puta si corpore rei non sumus præsentēs, nec nostro nomine alius possidet: *S. possidere. 5. Inst. De interdictis. l. 3. si quis. 8. De acq. vel am. poss. vel animo & corpore; hocque vel nostro, vel alieno, ut per servum, colonum, &c. dict. S. 8. vel animo & corpore alieno.* Hoc postremo modo possidemus per servum à nobis (non etiam à creditore *l. 1. S. per servum. d. t. vel alio*) possessum & per filiumfam. res, quarum possessionem ex causâ peculiari nobis ignorantibus acquisivere *l. 1. S. item acquisimus. 6. l. 3. S. caterum. 12. l. peregrè. 44. S. quesitum. 1. d. t.* Per procuratorem, tutorem & curatorem possidemus, cum ii nostro nomine nobis insciis rem possidere cœpere cœptamque possessionem continuant. *l. si me. 34. S. 1. d. t.* Omnes hi possidendi modi quem ad spolium recipiendum habilem reddant: modum tamen spolium patiendi variant; ut intelligi potest ex thesi 63.

LIX.

V. Requiritur, spoliandum ejus esse conditionis, in quâ constituti possessionem Jus defensam velit. Cujus non sunt: [1.] Is, in quo ejusdem culpâ dolove cessat causa possidendi: si tamen etiam non-faciendo, adeoque sine aliquâ aggressione & violentiâ offensivâ rei possessio, quæ ob causam durantem & continuam apud ipsum esse debet, interverti possit. Ex hac ratione, si e. gr. parochus officium suum negligentiam omittenti decimarum, ob suam functionem percipiendarum, solutio negetur, idem non spoliabitur. Nam qui non facit, ait Menochius, *d. r. 1. quest. 8. num. 89.* quod debet, non recipit, quod oportet. [2.] Qui à judicii limine ita abarcentur, ut nemo illis super aliquo negotio respondere cogatur. Quales sunt hære-

hæreticorum fautores, defensores, receptatores & eis creden-
 tes, si, postquam fuerint excommunicati, intra annum satisfacere contempserint. §. F. 17. §. credentes. 8. [3.] Illis etiam,
 qui aleâ ludentes suscipiunt, impunè domi res furto au-
 ferri potest, & damnum dari ubicunque. l. 1. §. 2. & 3. De
 aleatoribus. [4.] Spoliator à vi possidente rei jam jam sibi
 subductæ possessionem, in continenti absque spoliū crimi-
 ne vi recuperat. l. qui possessionem. 19. De vi & vi arm. In continen-
 ti autem intelligitur, si quis, simulatque sciverit, possessionem
 suam invasam esse, studuerit conquirendis viribus, quibus
 ablatam possessionem recuperet. Nec, licet post aliquod
 tempus, quod vim contrariam parando exegit, spoliatorem
 rursus dejiciat, ex intervallo dejecisse dicetur: cum temporis
 continentia non tam ex temporis momento, quam rerum, oc-
 casionis, & facultatum sumendum sit. Quæ sententia non
 communi saltem Doctorum calculo est approbata, sed funda-
 tur etiam in Ordin. Camer. p. 2. t. 9. §. 2. in f. ibi: Aber dem be-
 schädigten /c. Vid. Gail. 1. de pac. publ. c. 16. n. 12. & seqq. Tusch. lit. S.
 concl. 393. n. 11. & seq. Menoch. d. rem. 1. quest. 21. n. 259. & q. 34. n. 385.
 Pontan. d. tr. libr. 3. c. 2. num. 24. & seqq. [5.] Debitoris quoque
 res, si inter ipsum & creditorem convenit, ut creditori propriâ
 autoritate pignus capere liceat, sine injuriâ occupatur à credi-
 tore, non accedente licet autoritate publicâ: modò debitor
 apprehensuro non etiam resistat; quia hoc in casu creditor au-
 thoritate magistratus uti debet. Nam ὁ δανειστής ἀπὸ συμφ-
 ρώνος τὸ ἐνέχυρον λαμβάνων ἔπιειν ὅμως ὀφείλει βίαν: κε-
 λῶσθαι ἢ ἔρχονται ἐπὶ νομῆς γίνεσθαι ὁ ποιῆται, dicitur in
 Eclog. Basil. L. 25. t. 2. c. 37. id est, interprete Leunclavio, credi-
 tor, qui ex pacto pignus accipit, vim tamen facere non debet; sed autho-
 ritate Præsidis possessionem apisci. Vid. l. pen. De pignor. act. Dn. Frantz k.
 ad π. t. De pignor. & hyp. n. 44. Donell. ad l. 3. C. eod. t. n. 3. Pontan.
 d. tr. libr. 3. cap. 2. num. 20. [6.] Emtoris, qui contra pactum de
 servo exportando agit, in servum venditor manus injicere po-
 test, eumque abducere. l. Titius. 9. De servo expert. l. 2. C. si serv.
 expert. ven. [7.] Qui beneficium Ecclesiasticum, sive, ut vo-
 cant, spirituale possidet malâ fide, ita ut etiam juris præsum-
 ptio manifestè contra ipsum militet, hic ab alio, ad quem ad-
 perti-

perti-

pertinere, etiam jure communi præsumitur, sine metu facien-
 dæ restitutionis, privari potest: *argum. c. ult. De restit. spol. in 6.*
Vid. Tusch. lit. S. concl. 398. n. 10. & 15. Lancelott. Inst. Jur. Can. lib. 3.
t. 10. §. quinimò modo non fiat lite pendente, Add. Menoch. de rec.
poss. rem. ultim. quest. 4. seq. n. 32. & 33. quia tali in casu spoliato
confuleretur remedio valdè privilegiato Attentatorum. Add.
Hostiensis in summâ Decretal. Ut lite pend. nih. innov. sub capite: Qua-
liter intelligatur hæc rubrica. [8.] Vasallus deprædari potest
dominum, qui malo ordine ejus feudum intravit, & ter
admonitus nec possessionem restituit, nec curiæ judicio se
committit. 2. F. 22. An verò à domino Vasallus propter felo-
niam commissam, Emphyteuta ob commissam emphyteusin
propriâ authoritate non servato judicii ordine, ille feudi, hic
emphyteuseos privari possint possessione, vulgò quæri so-
let. Negativam sententiam in Vasallo tuentur Gailius 2. obs. 51.
n. 1. & seqq. & Niellius Disp. feud. 10. in m. exeges. ad pr. lit. a. in
Emphyteutâ Menochius, d. tr. rem. 1. q. 6. n. 75 & seqq. & Mejerus,
in C. I. A. libr. 6. t. 3. thes. 97. ad quorum sententiam inclinare
etiam videtur Giphanius: ad l. 2. C. de jure emphyt. pag. 362. quos
vide sis. Gailius tamen in Vasallo hanc adjicit limitationem: si
non commiserit feloniam notoriam actu permanentem; quo
casu, dominum de facto sine sententiâ possessionem feudi
commissi occupare posse, censet. add. Rosenth. in Synopsi jur. feud.
c. 10. §. 98. [9.] Is etiam, qui certò non sine delicto & scan-
dalo rei possessione frui potest vel vult, sine injuriâ illâ privari
potest, & privatus non restituitur. per c. literas tuas. 13. De restit.
spol. c. quanto te 7. De divortis. Menoch. d. rem. 1. q. 11. n. 114. & seqq.
& q. 29. n. 323. in f. Hostiensis in summâ ad d. t. [10.] Similiter cujus
committendi culpa factum, ut possessione ab altero privaretur,
spoliatus non restituitur: cùm damnum, quod quis suâ sentit
culpâ, sibi imputare debeat c. damnum. 86. De reg. jur. in 6. Vid. Me-
noch. de recup. possess. rem. 15. q. 14. num. 95. & seqq. [11.] Licitè
quoque rem eripimus debitori cum re debitâ aufugienti. l. ait
Prætor. 10. §. si debitorem. 16. Quæ in fraud. credit. Neque [12.] eum
leges spoliari censent, qui rei possessione, quam apud se esse,
nihil ejus interest, privatur ab eo, ad quem res aliàs per-
tinet. Nisi enim in spoliando hoc requireretur, ut, posses-

tionem ap. se salvam esse, ejusdem interfit, sequeretur, tum quoque spoliū fieri, cum quis ei, apud quem alterius est donatione ^{sua} res est, rem illam, in quā donatarius nihil quid fecit, ob quod contra vindicantem justam haberet retentionem, furripit; quod tamen adversaretur eis, quæ ex Juliano notavit J. Ctus Paulus. *in l. qui injuria. §. 3. §. f. de furtis.* Et quod emtor ante traditionem post pretium solutum venditori rem venditam furripiendo furtum facere ab Ulpiano *in l. 14. §. d. l. negatur,* id aliā non fultum est ratione, quā quod venditoris tunc nihil interfit, possessionem apud se esse. *Dicis: Si spoliandi, possessionem penes se habere, interesse debeat, sequitur, eum nō spoliari, cui spoliatori spoliatus rem ex intervallo vi eripit, vel quem dejectus ex intervallo rursus dejicit; quod tamen manifestò adversari videtur legi, si quis in tantam C. unde vi, legi, si vi me. 15. De vi & vi arm. & paragrapho 1. Inst. De vi bon. rapt. Respondemus in vi, quod ea publicæ tranquillitati multum nociva pluriumque aliorum delictorum gravium causa sit plerumque locuples, hoc singulariter videri constitutum, ut per illam citra reatum ne nostra quidem, quamvis aliās ab altero nobis restituenda sint, recuperare liceat. Illud adhuc addendum, quod spoliandi hoc pacto interesse debeat, ut damnum è spolio sit sensurus, non etiam quod possessione non ablatā lucrum fuerit percepturus. *per l. si is cui. 71. §. 1. in f. l. qui re sibi. 76. §. 1. De furtis. [13.]* Urgentem etiam ob necessitatem privato in nostram possessionem aliqua licent: sed hanc de re jam supra diximus. *th. 43. [14.]* Denique de malæ f. possessore universalius est tenendum, quod, qui ipsum rei m. fide possessæ privat possessione, si id citra vim faciat, eidem spolii non teneatur: *per l. itaq, fullo. 12. §. 1. De furtis.* et si fortè is, qui sic privat, quandoq;, puta si ipse quoque talis, ad quem res ablata jure non pertineat, crimenque gravius sit & majoris detrimenti, *add. Mei. in C. J. A. L. 48. t. 2. th. 20. n. 1.* inquirente Magistratu puniri possit. Illud notatu dignum hinc non incommodè adhuc annecti posse videtur: Quod spoliator, cōtra eum, quem prius spoliavit, eadem re rursus spoliantem non sit restituendus, modò tamen primum spoliū etiam notorium sit, vel intra quindecim dies probari queat. *per c. 1. De restit. spol. in 6.**

Quia

Quia delictum posterius cum priori non iniquè compensatur: l. 10. §. 2. De compens. Treutl. v. 1. D. 25. th. 9. non obstante l. ult. in f. C. d. t. Add. Pontan. d. tr. L. 3. c. 3. nn. 113. 121. & seq. & nn. 125. 127. & seq. & Bachov. ad Tr. vol. 2. D. 25. th. 5. lit. C. Ad §. 6. I. De interd. l. 18. De vi & vi arm. l. 7. C. unde vi. c. 5. De rest. spol. c. porro. De divort. (qui textus pro contrariâ sententiâ adduci solent) responderi potest ex iis, quæ habent Bachovius & Menochius dd. ll. Si tamen postremus spoliator graviori vi usus sit, de vi contra eum agere poterit primus spoliator.

LX.

Quæ de Materiali spolio patientis Subjecti hætenus diximus, pro instituto sufficient: accedamus nunc ad ejusdem Subjecti Formale, sive Causalitatem materiæ, in quâ fit spolium. Est hæc, ut τὸ πῶ eam describamus, illud, per quod Subjectū spolii Patiens est in actu secundo seu formaliter tale, spolii scilicet passio. Sed agè de eadem paulò explicatius dicamus. Et I. quidem prædictum Formale passionem esse, nisi id res esset luce suâ jam satis conspicua, probatum daremus. Quia verò res est luce non indiga, ideo statim ad ceterorū explicationem pergimus: & dicimus II. quod sit passio involuntaria. A quo enim volente alterius facto abscescit possessio, is idem factum injuriâ commissum causari nequit: cum volenti injuriam non fieri, in vulgus notum sit. Quo circa rectè Labeo in l. pen. De furtis. si quis, inquit, cum sciret sibi furripi, non prohibuit, non potest furti agere. Cum talis invitus non videatur passus. Involuntariè autem non is solùm patitur, qui vi externa, cui resistere ipso facto nequit, rei possessione privatur, sed & qui metu non vano adactus rem occupationi metum inferentis liquerit: vid. th. 51. item, qui honestâ aliquâ causâ, e. gr. verecundiâ, d. l. pen. vers. & hoc. De furtis. impeditus spolianti non resistit. Sicut & invitus est, qui ignorans spoliatur. quia, ajente Ulpiano, in l. qui vas. 48. §. 3. dict. tit. vetare dominum, accipimus etiam eum, qui ignorat, h. e. qui non consentit. Modò tamen etiam factum, cum id resciverit, improbet. per tradita Philosophi. 3. de morib. 2. in pr. Sed quid si per errorem aut incuriam domini

res aliena à nobis sit possessa? Probabile est, eo in casu nos spoli-
reos non esse, quamvis tamen possessionem restituere debeat-
mus. *per l. 5. C. unde vi.* Non verò etiam invitò passus intelli-
gitur, qui, etsi ejus ignorantis è possessione res nostro facto ex-
cesserit, probabiliter tamen à nobis non invitus fuerit creditus.
arg. pr. l. quire. 76. De furtis.

LXI.

Est, verò, quod III. in prædicto Formali notandum, passio
illa involuntaria talis, quâ eandem sustinens *rei cujusdam posses-
sione* privatur. Quam conditionem, quia ex jam dictis in th. 56.
constare potest, essentielle requisitum esse passionis, quâ affe-
ctus spoliari dicitur; ideò citra vitium id amplius hîc non pro-
bamus. Id de prædictâ conditione non malè dixeris, quod ea
se habeat ut Differentia Specifica, per quam passio ad spolium,
ut certam delicti speciem contrahatur.

LXII.

Ex hoc autem, quod Formale ejus, qui spoliatur, est *Passio
involuntaria*, quâ quis possessione privatur, sequitur quòd spoliari
non sit dicendus, qui ipse suo facto possessionem perimit, al-
teri eam tradendo, etsi vi metûve adactus id faciat. *Consentiunt
Menoch. d. r. 1. num. 102. & seqq. Gail. de p. p. l. 1. c. 3. n. 5. Mej. in
C. J. A. L. 43. t. 16. th. 7. num. 2. Tusch. lit. S. conclus. 385. num. 58.*
Nam quod quis faciendo ipse perfectè perdit, eo idem neu-
tiquam simul patièdo ab altero privari dici potest: cùm hæc
contradictionem implicare videantur. Et confirmat eandem
sententiam l. 5. De vi & vi arm. Eum tamen, qui quem, ut
proprio suo facto possessionem perdat, cogit, aliquem reatum
contrahere, non negamus. *vid. l. 9. §. 7. Quod met. caus.*

LXIII.

Patimur autem hanc possessionis privationem vel ipsi im-
mediatè, vel mediatè & per alios. Hoc fit, cùm illi, per quos
sive solo corpore, sive animo & corpore possidemus, *jung. th. 58.*
possessione privantur. Illud; cùm ipsi proximè possessione
adeo privamur, ut etiam nostrorum nomini in eadem liberè
morari liceat. *l. 1. §. non alii. 45. De vi & vi arm.* Ipsi immediatè
rei immobilis possessione privari non possumus, nisi scientes:
per l. 46. De acq. vel am. poss. adeo ut nec qui nostro nomine pos-
fidet,

fidet, nos ignorantes spoliare, vel ut possessio amissa sit, dolo vel defidia efficere queat. *per novam constit. Justin. in l. 29. C. d. t.* Modi autem, quibus scientes rei immobilis possessione privamur, varii sunt. Nam [1.] vel repellimur: quod fit, cum ad fundum vel ædes revertentes ingredi prohibemur eum in finem, ne rem possideamus. *vid. l. 6. §. 1. in f. De acquir. vel amitt. poss. l. 1. §. 24. De vi & vi arm.* item cum non vanè alterius vim nobis obstituram verentes, in fundum vel ædes reverti volumus. *vid. l. 25. De acq. vel am. poss. & supra th. 50.* Vel [2.] expellimur. Quod etiam tunc fit, cum alium, à quo vis major nobis metuenda, nos deijciendi causa adventare videntes, è possessione fugimus; sed si solum, ipsum advenire, audientes, profugimus, non antè dicimur dejecti, quàm si alter postea etiam relicta occupaverit fundum, vel ædes. *add. sup. th. 50.* Vel [3.] in re nostrâ commorantes vincti tenemur. *add. d. th. 50.* Est [4.] etiam modus, quo immobilis rei possessione privamur, cum fundus vel ædes nostræ ita corrumpuntur, ut possideri jam nequeant; e. gr. si ædes comburuntur, aut efficitur, ut flumen aut mare agrum occupet: *add. l. 3. §. 17. De acq. vel am. poss.* qui modus tamen possessoris scientiam non requirit. Mediatè & per alios etiam ignorantes spoliium patimur. Quoties autem pereos, qui nostro nomine rem possident immobilem, spoliium passi sumus dicendi, toties etiam opus est, nostris omnibus (nam quousque ipsorum vel unus adhuc possidet, cæteris licet expulsis, nos nondum sumus dejecti *l. 1. §. 45. De vi & vi arm.*) dejectis, vinctis aut possessis, alium possessionem esse ingressum: *l. peregre. 44. §. 2. & l. si rem. 47. vers. quod rerum. De acq. vel am. poss.* nisi tamen iste spoliandi modus sit usurpatus, quò ipsa res reddita est impossibilis; e. gr. cum ædes combustæ, flumen vel mare in agrum inducta. Mobilium autem rerum possessione mediatè & immediatè etiam ignorantes privari possumus. *per §. 16. l. 1. De obl. qua ex del. d. l. 47.* Patimurque hanc privationem vel furto, vel rapinâ, vel damno, quod fit injuriâ. *add. d. th. 50.* Postremo modo spoliatur, cum quis abs lucrificandi animo, (lucri verò faciendi gratiâ is etiam facit, qui facit ingratiam alterius *per l. 54. §. 1. De furtis*) efficit, ut res nostram custodiam, quæ

vel per nos ipsos vel per alios fit, evadat, aut à nobis, ubi sit, ignoretur, nec diligenti inquisitione à nobis queat inveniri. *add. d. l. 97. & l. 3. §. 13. De acq. vel am. poss.* In homine jus est singulare: de quo vide *d. l. 47. & l. 13. in pr. De acq. vel am. poss.*

LXIV.

Et tantum de spolii Efficiente & Subjecto recipiente dictum esto. Pergimus jam ad ejusdem OBJECTUM. Per hoc intelligimus rem, circa quam spolium committitur, cujusque possessio per spolium nobis perit. Hujus requisita sunt I. ut sit res, quæ à spoliando possideri queat. II. ut actu ab eodem possideatur. Ob primi requisiti defectum privatus spoliari nequit rebus sacris, sanctis & religiosis. *vid. l. universas. 30. §. 1. De acq. vel amitt. poss. Mej. in C. J. A. L. 41. t. 2. th. II. n. 1.* Annon tamen respectu Ecclesiæ res sacræ spolii possunt esse objectum? Utique. Nam ap. Ecclesiam talium rerum quodammodo dominium & possessio esse videtur. Faciunt hæc pro sententiâ I. sancimus nemini. 21. verbum, vindicari. C. de SS. Ecclesiis. & quæ scribit Abbas Panormit. *ad c. 4. De caus. poss. & propr. n. 20. & c. 3. De dilat. n. 3. Add. quoque Mej. in C. J. A. L. 6. t. 1. rh. 32.* Ut ideo Ecclesiæ nomine ejus administrator spolii, si res sacra ablata sit, agere queat. Liber etiam homo, quia possideri nequit *d. l. 30. §. 1.* spolii objectum non est. Qui tamen rem sacram, sanctam, religiosam aut liberum hominem, conditionis ipsorum ignarus, tenet, cum, quin tunc ipsas possideat, nihil obstet, *per §. 1. I. de usucap.* ideo iisdem etiam spoliari poterit. Et liberi hominis quia hætenus etiam quodammodo possessio est, quatenus certum quoddam jus personæ nobis in tali comperit; quo pacto maritus uxorem, & hæc maritum quasi-possidet: *arg. c. 8. c. 13. & seq. De rest. spol. Add. Panormit. ad c. 14. n. 19. d. t.* ideo eatenus quoque liber homo spolii quodammodo objectum esse potest. Sunt præterea aliæ etiam res, quarum non est possessio: quas omnes hîc enarrare est præter institutum. Inter easdem tamen non censemus jus percipiendi annuam pensionem, si ob certum personæ statum id nobis debeat. *Conf. Tusch. lit. P. concl. 447. n. 3. 4. 8. 10.* Cæterum cum possessionis objectum sint non solum res corporales, sed etiam incorporales, ideo & horum poterit esse spolium. *jung.*

th. 54.

th. 54. & Salyc. ad l. 7. C. unde vi Obligationis tamen nullam credo esse possessionem. Inter Jura, quorum possessio est, refert etiam Menochius Commendam, & jus Patrono competens ad habendum in Ecclesiâ sedem vel arcam sui honoris causâ, vel suæ familiæ depicta signa *ind. tr. rem. 15. q. 6. n. 40. & seqq. & q. 7. n. 45. & seqq.*

LXV.

Per secundum requisitum *jung. pr. th. preced.* à spoliis Obje-cto remouentur res, quas saltem tenemus, non autem possidemus: Cujusmodi respectu depositarii & commodatarii sunt res depositæ & commodatæ. Si tamen è fundo vel ædibus dejecti fuerimus, etiam illarum rerum, quas illic habebamus sine possidentis animo, restitutionem per Interdictum, Unde vi, impetrare possumus *l. 1. §. 33. De vi & vi arm.* An & si arcâ, in quâ nostra & aliena habuimus recondita, spoliati fuerimus, etiam ob aliena ibi reposita spoliis agere poterimus? Si vera sunt illa Hostiensis, *in summâ ad x. d. t.* quibus ait: Effectum spoliis esse, ut res restituatur & ea, quæ in eâ continentur; tunc proposita quæstio erit affirmanda. videturque id exemplo juris, quod obtinet in Interdicto, Unde vi, hoc quoque in casu recipiendum.

LXVI.

Post pauca illa de spoliis Obje-cto notata cum plura per temporis angustiam addere jam non liceat, statim progredimur ad spoliis TERMINUM. Per hunc intelligimus id, quod spolio producitur, & immediatè illud sequitur, quò producto spolium cessat & perfectionem nactum est. Estque idem spoliis Affectio, spoliantis autem Effectus & Finis. Terminus hic Absentia est possessionis rei, circa quam spolium est commissum. Ad quem cum omnis spoliator ut ad metam collimet, sequitur, quòd, qui rem alienam, citra animum alteri auferendæ possessionis, quavis aliâ ex causa, siue retinet, siue occupat, spoliare dici nequeat. Idem Terminus, cum, ut antè dictum est, Finis sit spoliatoris, & verò ratio causandi in fine semper sit bonum, *vid. Dn. Stahl. in reg. philos. t. 7. reg. 1.* necessariò erit aliquid bonum. Est verò bonum aliud verum, aliud apparens. Illud nunquam causandi rationem in spoliis
sine

fine obtinere potest: quia spolium actio est inhonesta, adeoque mala, malum autem non solum per se est malum, sed etiam boni causa per se nunquam esse potest. Remanet ergo, solum apparens bonum in fine spolii rationem causandi obtinere. Dicat quis: Ampla bonorum possessio est revera bonum: haec autem spolii finis esse potest: poterit ergo quoddam revera bonum finis esse spolii. Ad hoc ἀντίπρῆον ut respondeamus, praesupponentes, quod dives possessio ἀπλῶς, seu absolute, semper quidem vere bona sit, non vero semper huic aut illi, add. Philosoph. 5. de morib. 2. dicimus, spoliatori nunquam bonum esse, res alienas per injustiam possidere. Quis enim, rectam juxta rationem judicans, inter sibi bona referet, contra jus & fas alienam re ditari, cum intelligat, hujusmodi ob factum bonam existimationem ap. bonos perdi, & civiles divinasque leges in se armari. Sed nobis hic jam subsistendum.

Δόξα μόνῳ τῷ Θεῷ!

